DE

Q. S. F. TERTULLIANO

OPUSCULUM PHILOSOPHICUM.

HANC THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

A. DE MARGERIE,

IN EADEM FACULTATE JAM LICENTIATUS

AURELIÆ,

EXCUDEBAT ALEX. JACOB,

M DCCC LV

DE

Q. S. F. TERTULLIANO

OPUSCULUM PHILOSOPHICUM

HANC THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

A. DE MARGERIE,

IN EADEM FACULTATE JAM LICENTIATUS.

AURELIÆ,

EXCUDEBAT ALEX. JACOB.

M D CCC LV.

OPTIMO FRATRI,

COMMUNIUM UTRIQUE STUDIORUM

OLIM DUCI, SEMPER SOCIO,

Amantissimi gratissimique animi pignus.

PROŒMIUM.

Quisquis ritè philosophatur, et philosophiam non vult intrà scholarum parietes includi, neque circà logicas tantùm versari quæstiunculas, sed humanis divinisque rebus se inserere, atque bonum verumque, quantùm rationi fas est, in omnibus exquirere, is nullam digniorem materiam inveniet, in quâ plurimum operæ, plurimum laboris consumatur, quàm immutationem in vivendi credendique principiis, XVIII abhinc sæculis inchoatam. Non enim pauca, neque in paucis christiana disciplina innovavit, sed ipsa morum doctrinarumque instauravit fundamenta, triaque, aut subitò, aut per temporis decursum, produxit in quibus præstamus antiquis : Christianam rempublicam, Christianas virtutes, Christianam philosophiam. Indè est quòd divinæ religiones desierunt ad arbitrium mutari principis, constitutumque est regnum animarum, omni vinculo liberum, sua jura, suosque habens magistratus; indè, quòd pauperes, servi, contemptissimi anteà quique, primum in divinâ civitate locum obtinuerunt, paulatimque, etiam in humanâ, aliquo loco haberi cœperunt; indè, quòd fuerunt qui non pro patriâ tantùm aut pro suis, sed pro ignotis, pro inimicis se devoverent, qui *nesciri et pro nihilo reputari ama-*

rent (1); indè, quòd humanus intellectus, in opinionum mari sine gubernaculis anteà jactatus, pluribus veritatibus, quasi quâdam normâ disputandi investigandique duce, dotatus est, atque veteri sterilique licentiâ fecundam tandem justis sub legibus libertatem mutavit. Quòd si, nostris etiam temporibus, hæc omnia diligentissimè adversùs multimodos hostes tuenda sunt, multò operosiùs ad ea amplectenda repugnantes animi, infestæque mundi potestates, initio induci potuerunt. Has nascentis Ecclesiæ adversùs inveteratos errores controversias, quantùm quidem philosopho à theologiâ abstinendi studioso licebit, recensere aggredimur : hancque præcipuam fuisse causam fatebimur, ut Sept. Tertulliani nomen huic opusculo daremus, quòd hominis et ætas et labores optimum tanti belli specimen præbere visi sunt.

Incidit enim Tertullianus in vexatissima ferè Ecclesiæ tempora, cùm neque quidquam pristini furoris leges, magistratus, plebs, omnes denique professi christiani nominis hostes per processum temporis remisissent; nec deessent pericula quibus adultæ disciplinæ victoria corrumpi solet. Scio integros Christianorum illius ætatis mores, concordemque antiquitatis fidem, laxis sequentium temporum moribus, funestisque jam regnantis Ecclesiæ discordiis summo cum desiderio opponi solere : neque ego vel minimam laudis partem heroïcis majorum nostrorum temporibus detrahere velim. Verumtamen, animadvertere liceat, omnia humana nunquam impunè in immensum crescere, utque unam aut alteram legionem faciliùs sub

(1) *De Imitat. Christi*, l. I, cap. 2.

obsequio militari quàm ingentes exercitus retineas, ità minimè esse mirandum, quòd Ecclesia, urbis unius mœnibus inclusa, auream sanctamque simplicitatem pleniùs servaverit, quàm cùm extrà Romanum orbem se jam propagaret. Jam neque cor unum, neque anima una, neque idem omnibus ardor sua in medium conferendi, undè pauperiorum fratrum egestati subveniretur: ea jam laus christianæ disciplinæ quòd omnes ad se ætates, ordines, genera vitæ attrahebat: undè, ut Christianorum convictu et exemplis Ethnicos ad meliora provocari necesse erat, ità illud quoque metuendum fuit, ne circumfusis undique voluptatum illecebris ipsi Christiani ad prava revocarentur. Adde quòd non semper idem hostilis procellæ furor, nec mirum si, cessantibus interdùm persecutionibus, per pacis vel brevissimæ otia quædam veteris disciplinæ corruptio irreperet.

Prætereà, multi de philosophorum scholis in Ecclesiam migrare cœperunt: undè summum in periculum adducta est christianæ disciplinæ integritas. Pauci inexhaustam anteà veritatis sitim de sacro Evangelii fonte sedantes, novam fidem toto pectore arreptam summâ eruditione decoraverunt, adversùsque arma quondam sua tutati sunt, hanc apud posteros laudem consecuturi, ut christianæ philosophiæ, tot splendidissimis ingeniis aliquandò illustrandæ, patres conditoresque haberentur. Alii verò, in Christi castra transeuntes, non omnem cum Platone, Aristotele, Epicuro, Zenone, familiaritatem abjecerunt, servatasque priorum placitorum particulas in christianæ doctrinæ corpus inserere conati sunt: « Indè Æo-« nes et formæ nescio quæ, et Trinitas hominis apud Valen-

« tinum : Platonicus fuerat. Indè Marcionis Deus, melior de « tranquillitate : à Stoïcis venerat. Et ut anima interire dica- « tur, ab Epicureis observatur. Et ut carnis restitutio negetur, « de unâ omnium philosophorum scholâ sumitur. Et ubi ma- « teria cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est : et ubi ali- « quid de igneo Deo allegatur, Heraclitus intervenit (1). » Isti omnes, Academicum aut Peripateticum Christianismum inducentes, pristinamque de omnibus disputandi libidinem in novam fidem transferentes, Christumque, eodem quo anteà magistrum, audientes animo, sacra verba alius in aliam liberrimè distraxerunt sententiam. Indè, quod cuique de Deo, de homine, de rerum naturâ placuerat, hoc divinorum librorum testimonio confirmare nitebatur : nec ullum tàm insanum tàmque pestiferum invenias errorem, cui suus inter hæreticos defuerit patronus, sua de Scripturis in pravum detortis auctoritas. Ità, sexdecim abhinc sœculis, illam divina temerè interpretandi licentiam eadem quæ recentioribus temporibus incommoda sequebantur, eò tunc graviora, quòd multa adhùc simpliciter credita, nondùmque satis per Conciliorum definitiones elucidata, pravis verborum argutiis obnoxia jacebant.

Nunc, si quæras per quorum linguam aut stylum, dùm tot millia fidei veritatem sanguinis testimonio confirmabant, universis singulisque hostibus Ecclesia occurrerit, unum, apud Latinos quidem, S. Tertullianum invenies. Causa Christianorum coràm infensis magistratibus oranda est? Septimius seligitur. Ethnicis religionibus bella ultrò inferenda? Nullus

(1) Tert. de Præscript. hæret., § 7.

Septimio dignior qui *Nationes* adloquatur. Enodandi hæreticorum laquei? Septimius, mutatis pro adversariorum qualitate armis, nunc singulos revincere, nunc universos antè commissam aciem fugare cernitur. Providendum ac præcavendum ne simpliciores curiosioresve fidelium animi per humanam philosophiam decipiantur? has quoque partes, communi quasi consensu, Septimius implebit. Christianorum mores, aut a vitiorum contagio per pacis otia servandi, aut ad fidei certamina fortiter ineunda erigendi? Septimium et auctoritas et copia dicendi tali ministerio faciunt aptissimum. Denique vix unum inter tot illius temporis errores reperias, qui christianæ doctrinæ integritati imminens, primâ in acie Septimium sibi non invenerit adversarium. Qui, postquam, ut custos vigil, ex arce summâ indefessis oculis omnia circumspexit, ne, si quam fortè partem neglexerit, illâ hostis adsit improvisus, acerrimi officio militis continuò fungitur, tantâ vehementiâ singulos urgens, ut in uno debellando vires ævumque consumpturus videatur, tantâque velocitate, alio prostrato, in alium ruens, ut pluribus simul in locis præliari videatur; ne plura, easdem, CC post Christum annis, partes exsequens, quas, splendidiùs quidem, sed secundiore tempestate, Bossuetius implevisse agnoscitur.

Hoc de Septimio judicium non posteri tantum, sed tota tulit antiquitas, cujus, inter multos alios, Vincentius Lirinensis fidelissimus extitisse videtur interpres : « Tertullianus apud « Latinos nostrorum omnium facilè princeps judicandus est. « Quid enim hoc viro doctius? Quid in divinis atque humanis « rebus exercitatius? Nempe omnem philosophiam, et cunctas

« philosophorum sectas, omnesque eorum disciplinas, om-
« nem historiarum ac studiorum varietatem mirâ quâdam
« mentis capacitate complexus est. Ingenio verò nonne tàm
« gravi ac vehementi excelluit, ut nihil sibi pœnè ad ex-
« pugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit,
« aut pondere eliserit. Jam porrò orationis suæ laudes quis
« exsequi valeat? quæ tantâ nescio quâ rationum necessitate
« conserta est, ut ad consensum sui, quos suadere non po-
« tuerit, impellat. Cujus quot pene verba, tot sententiæ sunt;
« quot sensus, tot victoriæ. Sciunt hoc Marciones, Appelles,
« Praxeæ, Hermogenes, Judæi, Gentiles, Gnostici, cæterique,
« quorum ille blasphemias, multis ac magnis voluminum suo-
« rum molibus, velut quibusdam fulminibus, evertit (1). »

Quòd si idem Septimius (ut B. Hilarii verbis utar) *sequenti errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem*, hunc quoque casum magno cum fructu philosophus meditabitur, cùm et divinam veritatem mole suâ stare, et humanam rationem, ubi ab eâ deficiat, sibi non illi nocere, tantâ clade doceamur; quod multis posteà non unius aut alterius hominis, sed totarum gentium exemplis confirmatum est.

Cùm igitur duos habeamus Septimios, facile primo aspectu videtur sua utrique referre opera, si catholico quidquid catholicè scriptum est, hæretico quidquid hæreticè, assignetur. Verùm, neque Apologeticum, aliosve libros, quos a Nostro, adhùc fidissimo Ecclesiæ per ipsum florentis propugnaculo, compositos in confesso est, omni pravarum opinionum mendâ

(1) Vincentius Lirinensis, commonitorio I.

carere affirmaverim; siquidem ante confirmatam coadunatamque à Nicænis patribus totius orbis fidem, varii, pro locis ac temporibus, singulis in Ecclesiis invaluerant errores. Neque, quidquid idem in alienis castris militavit, contrà orthodoxam credendi disciplinam intenditur: objiciendi enim forent, utpote post lapsum certissimè editi, quinque adversùs Marcionem libri, qui totius antiquæ theologiæ thesaurus haud immerito nomine nuncupati sunt. Nec mirum multa esse Septimii jam Montanistæ quæ catholicæ fidei optimè consonent, cùm ille, quem sese Montanus mentiebatur, Paracletus, multa quidem in vivendi præceptis, perpauca verò in credendi formulâ immutaverit. Igitur, ut numquam sine aliquâ cautione Septimius audiendus, semper ad singulares quasdam opiniones, nimiamque in moribus severitatem pronior, ità hæc quoque maximo cum fructu legentur, in quibus, etsi hæreticus, alicujus tamen catholicæ doctrinæ strenuus defensor extitit. Illa penitùs respuenda, quæ contrà Ecclesiam, extrà Ecclesiam situs, disputavit, cùm Montani errores, Christiani orbis consensu suisque ipsius adversùs universos hæreticos argumentis jam debellatos, propugnaturus, parricida in matrem maledicta calumniasque congereret.

Hanc Septimianarum doctrinarum divisionem sequetur consimilis hujus opusculi partitio, ita tamen ut pars prior posteriori comparata in multò latius sese extendat; quippe cùm Noster longé pluribus spendidioribusque libris Ecclesiæ fidem propugnaverit quàm impugnaverit, multòque plures catholicè quàm hæreticè tractaverit materias.

Cœterùm, ne ingens majorque quàm pro viribus in immen-

sum materia protendatur, neve violatorum alieni dominii finium meritam incurramus reprehensionem, illa quæ de arcanis fidei mysteriis, argumenta ex auctoritate potiùs quàm ex ratione sumens, disputavit, nos, ut par est, omittemus. Non quòd illa nobis, sed quòd illis nos judicamus indignos : nam ut summum oratorem, subtilem philosophum, acerrimum fidei adversùs τοὺσ ἔξω defensorem, ità θεολογώτατον fuisse omnium usque ad nos ætatum auctorumque consensio demonstrat, inter quos ultimus nec minimus Gallicæ Ecclesiæ Pater, numquàm ferè nisi honoris causâ Septimium nominat, atque catholicæ doctrinæ difficillimum quemque articulum quàm lucidissimè exponere studens, sæpius Septimii quàm cujusvis, excepto suo Augustino, verba usurpat.

Igitur quæ adversùs Judæos, Praxeam, Appellem, Scripturis et Traditione armatus, disserit, nequaquàm nobis referenda censuimus; nisi fortè paucos ex illis locos, quò faciliùs pleniùsque Septimiana dicendi scribendique ratio cognosceretur, inserere profuit. Quæ adversùs Marcionem, Hermogenem, cæterosque omnes omninò theologicè disputata animadvertimus, pari reverentiâ reticuimus : quæ aliquo modo philosophicè, arripere non dubitavimus, iisque adjungere libris quibus utendum fuit, ut, omissâ theologiâ, integer alioqui, si Deus annuerit, prodeat Septimius.

Jam quid intendamus, et quam opusculi hujus formam esse velimus manifestum est : paucis de Nostri vitâ ingenioque præmissis, ejus controversias ità adire, ut quid de beneficiis ab Ecclesiâ in Rempublicam collatis, deque Christianorum in civitate officiis, quid de moribus, quid de philosophiâ, quid de

libertate et auctoritate in credendis opinandisque doceat referamus, relataque perpendamus, vera nostris, quantulæcumque sint, viribus tuentes, et, dubiorum sensu diligenter rimato, peccantia liberrimè reprehendentes; ut ex hoc veri falsique discrimine appareat quid suo ingenio suæque naturæ, quid christianæ disciplinæ debuerit Septimius.

CAPUT I.

DE SEPTIMII VITA ET SCRIPTIS.

De Septimii, in omnibus quæ nostri juris sunt, doctrinâ disserere aggredientes, res ipsa poscere videtur, ut hominis vitam referamus, cùm persæpè ad interpretanda scripta pernosse casus moresque scriptoris vel maximè prosit. Nemo plenè D. Augustini ingenium intelliget, quem latebit per quas vitæ procellas, a quibus libidinum errorumque fluctibus, veritatis tandem portum appulerit. Nemo Athanasii, Hilariive libros justi pretii æstimabit, qui nesciet inter quantas angustias quantaque discrimina par illud nobile confessorum contrà Arii factionem, pro Ecclesiæ, pro generis humani salute dimicaverit. Septimii quidem vita obscurior, nec tantis fortunæ objecta vicibus, unoque tantùm celebris, (quod utinam eradere liceret!) pauca habet satis probabilibus confirmata argumentis : pleraque aut conjicienda, aut ex diligenti scriptorum ejus inter se comparatione colligenda relinquuntur. Nos tamen præcipua, quantulacumque sint, ordine proferemus.

Carthaginiensem fuisse omnes ferè historici consentiunt. Afrum certè ipsa Septimiani styli indoles quâdam cum Cypriano, Minutio Felice, Arnobio affinitate denotat; nam Lactantio Tullii diuturna familiaritas professaque imitatio omnem vernaculi soli saporem adimit.

Quo anno natus sit, cum omnes sileant auctores, nemo affirmare audeat : conjicere tamen licet natales ejus neque multis ante CLV, neque multis post CLXV a Christo annis collocandas, si modò Hieronymo fides adhibenda est, Septimium

mediam circà ætatem ab Ecclesiâ descivisse; quæ clades inter annos CCI et CCX verisimillimè ponitur.

Christianæ veritatis lucem non puerilibus oculis domi inter suos hausisse, sed aliquandiù quæsivisse, crediderim : nec tamen res citrà omnem dubitationem posita est, cùm quidquid ex ejus scriptis afferunt, ut ethnicus fuisse comprobetur, de Christianis generatim, non de se ipso loqui potuerit (1). Cæterùm probabilis conjectura est, doctissimum (quod ejus scripta demonstrant) adolescentem, ante maturos annos, indignas suo judicio, suâ eruditione superstitiones respuisse : quod optimo quoque Baronius argumento confirmat. Cùm enim B. Hieronymus Eustochium suam librum *Tertulliani adolescentis* de *matrimonii incommodis* legere hortetur (2), quis credat hominem ethnicorum scriptorum lectionem reprehendere et propè vetare solitum, opus de tam lubricâ materiâ, ethnicâ licentiâ compositum, in piæ castæque adolescentulæ manibus versari voluisse (3)?

Indè quoque sequitur, aut uxorem ante duxisse quàm illum ederet librum, aut ipsum librum rhetoricæ exercitationis gratiâ compositum, cui vitam accomodare minimè curaverit, nuptias ipse proprias posteà celebraturus.

Cæterùm dehortationis suæ haud immemor, jugalia vincla, nondum senex, ut opinor, communi uxoris consensu resolvit; non eâ mente ut se novarum irretiret captivitate nuptiarum (nil einm tale christiana unquam audivit antiquitas); sed quò liberior uterque orationi vacare, et Evangelicæ studere perfectioni valeret. Qui mos sæpissimè tunc temporis observatus, quanti perpetua continentia in Ecclesiâ semper æstimata fuerit satis ostendat, si res probatione egeret, tot jam confirmata testimoniis.

(1) Hæc et nos risimus aliquando. De vestris fuimus; fiunt, non nascuntur Christiani.

(2) B. Hieron., epist. ad Eustoch.

(3) Baron., Annal, Ecclesiast.

Rhetoricæ magistrum causarumque oratorem egisse nescio quâ fulti auctoritate nonnulli affirmant. Non enim, si litteris excultissimum utriusque linguæ (1), rhetorumque ultrà quàm satis est præceptis imbutum fuisse, prætereà juris haud rudem, nulliusque philosophiæ expertem, omnes ejus libri fidem faciunt, continuò sequitur illum hæc omnia docuisse.

Nusquàm se in sacerdotalem adlectum fuisse declarat ordinem : sed et res per se credibilis est, et nonnulli ipsius loci satis congruere videntur, maximèque ab illo edita cohortatio ad martyres; quas sibi partes laïcum sumpturum fuisse minimè arbitror.

Ut ut est, quantùm auctoritate Septimius in Ecclesiâ valuerit omnes consentiunt, et ex hoc maximè perspicere licet quòd B. Cyprianus, maximum Ecclesiæ Africæ antè Augustinum decus, se discipulum Septimii semper professus est, qui « numquam absque illius lectione unam diem prætererit, et crebro solitus fuerit notario suo dicere : Da magistrum, Tertullianum videlicet significans (2). »

Ergò, non sine magno fragore, ingentique fidelium luctu totiès ejus operà beneficioque confirmatorum, gravissimam dedit ruinam ille Carthaginis honos, omnium Ecclesiarum defensor, christianarum apud Latinos litterarum pater : semperque exindè documento fuit nullius fidem adeò doctrinâ morumque sanctitate communitam esse, cui non alicundè, si sibi nimiùm placuerit, gravissima pericula impendeant; cæterùm Veritatem divinam hominibus uti tanquam præconibus, non patronis, quorum si quem experiatur infidum, hunc quidem tanti piaculi pœnas seriùs ociùs persolvere, ipsam verò, integram immotamque permanentem, alios sibi mox comparare defensores.

Verùm paulò latiùs in tantæ cladis causas alio loco inquire-

(1) Ipse Septimius *de Virginibus velandis* se utrâque linguâ scripsisse declarat.

(2) Hieron. catal. Scriptor. Ecclesiastic.

tur. Illud in præsens memorasse satis fuerit, Septimium, circà medium vitæ humanæ tempus, Montani, Priscæ, et Maximillæ somniis deceptum, ad hæresim, relictâ catholicæ ecclesiæ unitate, descivisse. Continuò tota viri evanuit auctoritas; neque enim ullum impiæ fugæ comitem habuisse legimus. Certè *anathema audiit* (1), ut ipse loquitur, *censuramque divinam* incurrit, *maximum,* ipsius quondam sententiâ, *futuri judicii præjudicium, cum ità deliquisset ut a communicatione orationis, et conventûs, et omnis sancti commercii relegaretur* (2). Multa, Ecclesiâ extorris, novæ disciplinæ confirmandæ, impugnandæque fidei quondam suæ, scripsit; dein, ne in uno quidem errore constans, omnisque auctoritatis impatiens, propriam induxit Tertullianistarum sectam, quorum reliquias in Africâ inventas D. Augustinus tandem in catholicam unitatem recepit. De ultimâ illâ Septimii mutatione nil aliud usquàm reperimus, neque, aut qualis fuerit Montanismi abjiciendi causa, aut qualem dederit Tertullianistis propriam credendi regulam æstimare in promptu est, cùm ipsius scripta de his omninò reticeant.

Vixit usque ad extremam senectutem, neque Ecclesiam, publicâ contristatam apostasiâ, publicâ solatum esse pœnitentiâ audimus, cum tamen tanti tamque felicis eventûs lætitia aliquam suî memoriam in ecclesiasticis annalibus relictura fuerit. Cæterùm, quid in animæ jamjam evolaturæ penetralibus gestum fuerit, quidve de illâ Dei misericordiæ justitiæque placuerit, nec nos novimus, nec ulli fas conjicere.

Nunc, si mores hominis pleniùs cognoscere libet, ad ejus libros accede, et quo dicendi genere sit usus diligenter intuere: neminem enim umquam extitisse crediderim scriptis suis similiorem, aut in quo notissimi illius: *stylus homo est,* veritas magis eluceat.

Quærenti quæ tandem dotes Nostri sermonem doctissimo-

(1) De jejun., § 1.
(2) Apologetic., § 39.

rum admirationi, atque Bossuetii in primis imitationi commendaverint, ante omnia elucebit singularis quidam, in quo ne a Tacito quidem superatur, nervosissimi styli vigor, tùm quòd nemo plures sensus intrà pauciora verba callet includere, tùm quòd vocabula, figuras, juncturas, conformationes sententiarum animis potenter commovendis aptissimas seligit, denique quòd Flacci præcepto, naturâ duce potius quàm arte, obsequitur, ipse commotus ut commoveat. Indè est ut omnis servitutis impatiens, latini sermonis leges non docilis sequatur, sed in suum flectat obsequium. Hanc libertatem, de quâ splendidissima quæque apud omnes populos ingenia, Pindarus, Tacitus, Bossuetius, plus minusve sibi assumpserunt, nos, etsi indignentur grammatici, Septimio non invidebimus, undè tot tantaque effluxerunt eloquentiæ miracula; licentiam jure reprehendi non negabimus.

Tantis eloquentiæ quasi viribus instructus, conjicere licet quàm vividus in describendo, in insectando acerbus, in argumentando pressus nodosusque extiterit. Otiosos verborum circuitus eodem quo Tacitus odio prosequitur; utrique pauca satis sunt ut sive locorum, sive hominum ante oculos imago prodeat, omni picturâ coloratior, omni marmore spirantior. Audi, ut unum e multis seligatur exemplum, quibus verbis te in medias Ponti rapiat procellas : « Duritia de cœlo quoque. « Dies numquam patens, sol numquam libens. Unus aër, ne- « bula ; totus annus, hibernum; omne quod flaverit, Aquilo « est (1). »

Verùm, ubi aut vitia sui temporis notare, aut christiani nominis hostibus infamiam inurere aggreditur, ne ipsum quidem Juvenalem asperioribus usum esse flagellis crediderim :

Cave, cave, namque in malos asperrimus
Parata tollit cornua....

Quantâ vehementiâ luxum, idolatriam, impudicitiam insec-

(1) In Marc. L. I, § 1.

tetur brevi ostendemus : quòd si libros ejus adversùs singulas hæreses conscriptos perlegas, Valentinianos, Gnosticos, Marcionem, Hermogenem, Praxeam, antè mordacissimâ Septimii satyrâ dilaniatos invenies, quàm ad ipsum de doctrinâ ventum sit congressum. Quamquàm nec dialecticam Nostro deesse ulteriùs ostendemus, eamque satis pressam et subtilem, et irretiendo adversario aptissimam, in quâ nihil aliud reprehendas, nisi quamdam (quod in Septimio mireris) aliquandò garrulitatem.

Jam ad notanda Septimiani styli vitia adducimur. Subobscurus est, idque nonnumquàm consultò, inflatus, in ornamentis delectum habens non satis severum, verborum aut contrarietatibus aut consonantiis gaudens, ut nunc Afram hominis barbariem reprehendas, nunc styli ultrà quàm satis est exculti nitidique elegantias (1). Hæc omnia vitia, passim in multis Septimii dispersa operibus, liber *de Pallio* denso quasi agmine conferta continet, vitia tamen οὐ τοῦ τυχόντος, sed ejus qui, etiam reprehendendus, aliquando moveat admirationem. Hujus libelli obscuritatem doctissima Salmasii commentaria expellendo demonstrant, quibus ipse talia præfatur : « Multos « vidi, postquàm benè æstuassent ut eum assequerentur, nihil « præter sudorem et inanem animi fatigationem lucratos, ab « ejus lectione discessisse. Sic qui σκοτεινὸς haberi voluit, adeò « quod voluit a semetipso impetravit, et efficere id quod op- « tabat valuit, ut etc. » — Inflatum ipsa dispositio operis arguit, in quo mutationem vestitûs, assumptionemque pallii a Carthaginiensibus reprehensam defensurus, soli cœlique, totius rerum naturæ, totiusque humani generis mutationes narrat; ut nobis in mentem veniat à quàm diversis regionibus atque à mundi quidem origine comicus ille orator ad ipsam causam, canemque comesæ gallinæ reum deveniat. Denique rhetoricis artibus omninò infectum fuisse totus liber demonstrat, declamatoris scholâ, non Ecclesiâ dignus. Verùm hæ maculæ, cùm

(1) Vide Apol. 4, 25, 40, multaque alia ejusdem generis.

non tantæ sunt ut aut his admodùm offendaris, aut alia et optima et longè plura conspici prohibeant, tùm si hominis ingenium, patriam, ætatem advertas, inevitabilia fuisse cognoscentur.

Durus, et acer, et pugnax, et ad nimia pronus, nervosâ quâdam brevitate super omnia delectari debuit, suæ naturæ apprimè consentaneâ, quippe cui, vel unum vocabulum, sensum aliquem per se non conficiens, sagitta in vacuum emissa videretur. Ergò, contrariam atque Cæsar Augustus secutus viam (qui, teste Suetonio, « neque præpositiones verbis addere, « neque conjunctiones sæpius iterare dubitavit, quæ detractæ « afferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent; præcipuam nempè curam ducebat sensus animi quàm apertissimè exprimere »), lucrum habuit in quàm minimum spatium coarctasse sententias. Neque hanc obscuritatem reprehendas quam plenitudo quædam sensuum inducit : verùm ubi consuetudo brevitatis affectandæ invaluit, ipsa mox brevitas per se exquiritur, utque alta primum, ita, brevi, humilia simpliciaque sacris quasi umbris involvuntur. Igitur, qui modò, quasi auro invento, divitem quemdam auctoris sensum longo labore elucidatum gaudebas, idem multum operæ multumque sudoris periisse haud æquo animo feres, ubi densissimis verborum arcanis nihil quod animum aut oblectet aut erudiat subesse animadverteris.

Pompam quoque et violentiam, et omnimodam orationis nimietatem jure reprehendas (quamquam hoc quidem vitium effæminatæ enervique quorumdam elegantiæ prætulerim) : sed ipsum prius Africæ solem, terramque cum incolis præcalidam et quasi ambustam priùs reprehende. Denique, si inculti ferique soli vepribus pallidos rhetorum flores immistos quereris, reputa tecum hanc esse litterarum conditionem, ut, simul ab eâ, quæ perfectio est, urbanâ ingenuâque simplicitate aliquis declinaverit, in contraria simul vitia, barbariem, nimiasque elegantias persæpe incurrat, nunc durus et asper, et grammaticæ jura conculcans, nunc verborum fastidiosissimè

curiosus, sibique, ut veræ eloquentiæ culmen adepto, gratulans, si rhetoricæ argutiis scripta sua referserit. Nil igitur mirum si neque in ipso quasi Afrorum rhetorum gremio educatus, expers mansit nutricis suæ vitiorum, neque integer in contagio, atticus Carthagine perstitit. Hoc potiùs admiratione dignum, quòd tantum veræ sinceræque eloquentiæ, corruptissimâ in ætate, retinuit.

CAPUT II.

SEPTIMIUS ECCLESIÆ, FACTIONIS REÆ, DEFENSOR.

Quàm splendidè adversùs Romanorum Deos Septimius stipendia meruerit, nemo est qui nesciat. In quo etsi facile fortassis videatur *vincere non repugnantes*, quandoquidem nulla jam, neque poëtarum fabulis, neque augurum artibus, fides adhibebatur, tamen, penitùs rem intuentes, non parvæ molis ea fuisse fatebimur quæ novæ disciplinæ obstabant. Taceo quòd acerrima illi bella gerenda erant cum omnibus cupiditatibus, quibus securè apud Ethnicos, annuente Numinum concilio, indulgeri poterat: taceo quòd tumidam illam suî fiduciam, altissimè humano pectori insitam, et tot egregiè factorum, ut videbatur, fontem, radicitùs suscipiebat evellendam, nec vitium vitio, Epicureas voluptates Stoïcâ superbiâ, propelli patiebatur. Illud ullum notetur velim, quòd, multis jàm sæculis, romanum imperium romanaque religio connubio stabili ità inter se conjuncta erant, ut, in antiquis institutis, per quæ in id magnitudinis respublica creverat, primum locum publicæ religiones obtinerent. Romanæ urbi sedem non nisi auspicatò Romulus elegerat; primam Romanorum fugam Jupiter Stator converterat: nil romanum sine diis gestum: denique arx urbis eadem Jovis O. M. ædes dedicata fuerat. Ergò, postquàm priscæ virtutes, vera prolati imperii causa, fugerant, ultimus supererat facilis ille Numinum cultus, qui nulli flagitio obstabat, Romanisque copiam faciebat, ut, for-

tunam Urbis venerantes, ipsi se suamque potentiam divinis prosequerentur honoribus. Mox immutatos mores altera sacris in rebus immutatio secuta est. Ubi omnia cœperunt in unum respicere, *Rex*que *populus* uni servire, divinos honores quis miretur in illum translatos qui patriæ, romanæque Fortunæ sola supererat imago? Indè, variis de causis, unum omnibus in Christianos odium, cùm plebs antiquos ritus, quasi quoddam æterni in Urbe imperii pignus, tenaciter amplexa, superstitionis suæ adversarios velut nefarium quoddam devotumque genus exsecraretur, et quidquid illis flagitiorum fallax rumor objecisset, avidis ebiberet auribus; docti autem viri et administrandæ reipublicæ periti, has religiones, etsi vanas, tamen utiles, ideòque palàm observandas credentes, eos pro publicis hostibus haberent qui, cæco in instituta majorum impetu facto, summam rerum in maximum discrimen vocabant; Cæsar verò, cui parùm erat si mortales tantùm honores in caput suum cumularentur, numinis sui contemptorès tanquàm majestatis violatores, parricidasque proscriberet.

Tot tantisque christiani nominis hostibus a Septimio occursum est in Apologetico libello, quem tali verborum vehementiâ sententiarumque gravitate conscripsit, ut, Justino, Miltiade, Athenagorâ, cæterisque Christi ante se defensoribus facilè melior, omnibus eadem prælia posteà inituris, Cypriano, Lactantio, Arnobio, Minutio, Augustino, Athanasio, præbuerit exemplar, omnesque, præter unum Athanasium, vicerit. Cyprianus enim de origine deorum, Minutius de rumoribus adversùs Christianos jactatis, pleraque disserunt. Arnobius multa per quæ Ethnicis errorum suorum pudorem incutiendo, veræ religionis notitiam insinuaret, eruditione magis quàm judicio conspicua, in octo libros congessit, potiùs quàm digessit, plus æquò turpibus immoratus fabulis, quarum nomen referre satis fuit, sæpiùsque christianorum dogmatum parùm fidelis interpres, vehemens cæterùm et acer, sed turbidus modique nescius, atque exquisitioribus verbis, ornatioribusque sententiis nonnulla barbariæ vestigia admiscens. Lactantio

neque rerum ordo deest, neque elegantia sermonis. At, dum leni æquabilique cursu defluit, nullum ferè verbum adhibens cujus apud optimæ latinitatis auctores non invenerit exemplum, feliciter imitari, non de proprio haurire fonte videtur, ut laxior ejus enervisque facundia rudis illius, quo magister utebatur, styli desiderium incutiat. D. Augustinum et aquileâ acie ingenii omnia de sublimi vertice prospicientis, et eruditissimi elegantissimique sermonis venustate præstare quis neget? sed, dum rethorum, quas Tullius vocat, ineptiis nimium inservit, virile alioquin effœminatur ingenium, fugitque perfecta illa verèque attica simplicitas. Unus Athanasius, ætatis suæ vitiorum integer, germanæque veterum eloquentiæ referens imaginem, ità Christianæ veritatis splendorem oculis exponit, ità singulos de diis errores ad suam revocat originem, ut materiam opere ferè æquasse videatur, et in nobilem illam poëtarum, oratorum, philosophorum gentem mereatur adrogari, quæ, ab Homerico fonte profecta, immortalem Græciæ laudem peperit, et, aliquandiù extincta, tandem in Christi scholis, numine afflata, purior revixit. Aureum itaque conscripsit opus, in quo ipsam Veritatem audiri credas, jam de se suâque victoriâ securam: cui nil nostris in temporibus conferre ausim, præter egregium Fenelonii de Existentiâ Dei libellum, in quo verum pulchrumque, mirè inter se conjuncta, mutuam alterum alteri lucem remittunt.

Non temperatum illud, venustumque dicendi genus secutus est Septimius; quippe qui, non magistro placidè suos alloquenti similis, sed oratori causam apud infensos judices acturo, non tàm loquatur quàm prælietur, assensumque auditoris potiùs rapiat quàm sibi conciliet. Nec mihi memorabilia judicia animo referenti, quæ summis antiquitatis oratoribus occasionem præbuerunt togæ super arma extollendæ, ullum spectari dignius occurrit. Sive enim reum respicias, divina veritas accusatur, Christique Ecclesia, novi *sæclorum ordinis* parens; sive concionem, genus humanum attendit; sive judices, à Cæsare, *secundâ* post Deum *majestate,* ad ipsum Deum causa

tunam Urbis venerantes, ipsi se suamque potentiam divinis prosequerentur honoribus. Mox immutatos mores altera sacris in rebus immutatio secuta est. Ubi omnia cœperunt in unum respicere, *Rexque populus* uni servire, divinos honores quis miretur in illum translatos qui patriæ, romanæque Fortunæ sola supererat imago? Indè, variis de causis, unum omnibus in Christianos odium, cùm plebs antiquos ritus, quasi quoddam æterni in Urbe imperii pignus, tenaciter amplexa, superstitionis suæ adversarios velut nefarium quoddam devotumque genus exsecraretur, et quidquid illis flagitiorum fallax rumor objecisset, avidis ebiberet auribus; docti autem viri et administrandæ reipublicæ periti, has religiones, etsi vanas, tamen utiles, ideòque palàm observandas credentes, eos pro publicis hostibus haberent qui, cæco in instituta majorum impetu facto, summam rerum in maximum discrimen vocabant; Cæsar verò, cui parùm erat si mortales tantùm honores in caput suum cumularentur, numinis sui contemptores tanquàm majestatis violatores, parricidasque proscriberet.

Tot tantisque christiani nominis hostibus a Septimio occursum est in Apologetico libello, quem tali verborum vehementiâ sententiarumque gravitate conscripsit, ut, Justino, Miltiade, Athenagorâ, cæterisque Christi ante se defensoribus facilè melior, omnibus eadem prælia posteà inituris, Cypriano, Lactantio, Arnobio, Minutio, Augustino, Athanasio, præbuerit exemplar, omnesque, præter unum Athanasium, vicerit. Cyprianus enim de origine deorum, Minutius de rumoribus adversùs Christianos jactatis, pleraque disserunt. Arnobius multa per quæ Ethnicis errorum suorum pudorem incutiendo, veræ religionis notitiam insinuaret, eruditione magis quàm judicio conspicua, in octo libros congessit, potiùs quàm digessit, plus æquò turpibus immoratus fabulis, quarum nomen referre satis fuit, sæpiùsque christianorum dogmatum parùm fidelis interpres, vehemens cæterùm et acer, sed turbidus modique nescius, atque exquisitioribus verbis, ornatioribusque sententiis nonnulla barbariæ vestigia admiscens. Lactantio

neque rerum ordo deest, neque elegantia sermonis. At, dum leni æquabilique cursu defluit, nullum ferè verbum adhibens cujus apud optimæ latinitatis auctores non invenerit exemplum, feliciter imitari, non de proprio haurire fonte videtur, ut laxior ejus enervisque facundia rudis illius, quo magister utebatur, styli desiderium incutiat. D. Augustinum et aquileâ acie ingenii omnia de sublimi vertice prospicientis, et eruditissimi elegantissimique sermonis venustate præstare quis neget? sed, dum rethorum, quas Tullius vocat, ineptiis nimium inservit, virile alioquin effœminatur ingenium, fugitque perfecta illa verèque attica simplicitas. Unus Athanasius, ætatis suæ vitiorum integer, germanæque veterum eloquentiæ referens imaginem, ità Christianæ veritatis splendorem oculis exponit, ità singulos de diis errores ad suam revocat originem, ut materiam opere ferè æquasse videatur, et in nobilem illam poëtarum, oratorum, philosophorum gentem mereatur adrogari, quæ, ab Homerico fonte profecta, immortalem Græciæ laudem peperit, et, aliquandiù extincta, tandem in Christi scholis, numine afflata, purior revixit. Aureum itaque conscripsit opus, in quo ipsam Veritatem audiri credas, jam de se suâque victoriâ securam : cui nil nostris in temporibus conferre ausim, præter egregium Fenelonii de Existentiâ Dei libellum, in quo verum pulchrumque, mirè inter se conjuncta, mutuam alterum alteri lucem remittunt.

Non temperatum illud, venustumque dicendi genus secutus est Septimius; quippe qui, non magistro placidè suos alloquenti similis, sed oratori causam apud infensos judices acturo, non tàm loquatur quàm prælietur, assensumque auditoris potiùs rapiat quàm sibi conciliet. Nec mihi memorabilia judicia animo referenti, quæ summis antiquitatis oratoribus occasionem præbuerunt togæ super arma extollendæ, ullum spectari dignius occurrit. Sive enim reum respicias, divina veritas accusatur, Christique Ecclesia, novi *sæclorum ordinis* parens; sive concionem, genus humanum attendit; sive judices, à Cæsare, *secundâ* post Deum *majestate,* ad ipsum Deum causa

provocatur; sive causidicum, oratoris eloquentia forsan capite luetur; sive ipsum opus, clientem patroni sui pœnituisse haud existimabis. Aliter enim verba faciet qui magistratus permulcere, clientique veniam quoquo modo impetrare studebit; aliter cui cliens ipse, altius aliquid spectans, non vitæ, sed laudis suæ, rerumque veritatis curam commiserit; etsi, quantò sanctior apparuerit, tantò infensiores sibi fore judices pro certo habeat. Prior, non veritati, sed saluti prospiciens, vultus animosque audientium intentus servabit, quædam, quamvis vera et ad causam apprimè facientia, reticebit, si nocitura suspicetur; multa leviter præstringet, seu immorari paratus, si oblectentur judices, seu ad alia transire, si gravius ferre videantur; quæ negare cupiat, nec tamen audeat, his mentitum induet colorem; denique omnibus utetur artibus, propter quas rhetorica εἶδός τι κολακείας a Platone nuncupata est. Posterior, placendi studium omittens, nec eos curans flectere à quibus se novit indictâ causâ damnatum, non illis, sed universæ civitati, sed posteris loquitur: non igitur jucunda, sed vera quærit, satis habens si, exacerbatis quos sibi fortè conciliare fingendo poterat, ipse opprimatur, intereà veritatis latius in dies diffusæ futurum maturaverit triumphum. Priore defensionis genere Xenophontem in primo *Memorabilium Socratis sermonum* libro usum esse doleo; qui in id enixè laborat, ut Socratem observantissimum fuisse religionum cultorem comprobet. Dicas hominem clientis vitam, non defuncti magistri famam defendendam suscepisse, adeò maximam Socratis laudem (quòd impias de diis fabulas nihili fecerit, paulòque propiùs quàm cæteri ad veritatem divinis in rebus accesserit) obscurare conatur. Non ità coràm judicibus ipse Socrates, qui, perlectâ quam Lysias, suæ ætatis oratorum disertissimus àc suavissimus, Apologiam ipsius conscripserat, pronunciari vetuit, ne judices commoverentur. Neque ità Septimius noster, cui compertum fuit, « nolle veritatem deprecando defendi. Scit veritas se peregrinam in terris agere, inter extraneos facilè « inimicos invenire, cæterùm spem, sedem, gratiam, dignita-

« tem in cœlis habere : unum gestit interdum, ne ignorata « damnetur (1). »

Igitur, quamvis nil Apologetico notius, nil in christianâ antiquitate illustrius, haud leviter tantum opus transgrediendum videtur; cùm et auctori suo plurimum gloriæ contulerit, et haud pauca contineat quæ magno cum fructu in præsentibus de religione controversiis usurpari possint. Quamvis enim multa, Septimianâ ætate Christianis objici solita, propter ipsam temporis moram, ipsamque criminum insulsitatem, jam dudùm explosa sint, alia tamen superfuere quæ apud nos, iisdem ferè quibus apud Ethnicos verbis, jactari quotidiè audias. Quotiès factiosi, propter Cæsareas leges divinis posthabitas, quotiès otiosi et « humanis rebus infructuosi, » propter laudatam *Contemplativorum* vitam, Christiani audiunt! Quotiès Evangelii philosophiæque placita eâ mente inter se comparantur, ut Christum nil novum attulisse, Christianismumque nihil esse nisi quamdam philosophandi rationem, appareat! Antiquis, sed nondùm, ut videtur, hebetibus telis, ecce antiquam opponimus armaturam, quam non vetustate fragilem, nec rubigine exesam utendo invenies. Præstat totum perlegere librum : nec tamen labor erit ingratus iis immorari quæ et in illo maximè eminent, et nostri temporis possunt utilitatibus inservire.

Multa quæ noster, pectore non minùs quàm ore disertus, Christianorum calumniatoribus respondit, multa quæ copiosè lepidèque adversùs deos disputavit, impietatis crimine suos purgaturus, multa quæ de christianæ doctrinæ veritate dilucidè disseruit, inviti prætcrlabimur; quorum quædam ab hujus opusculi intentione aliena sunt, quædam alio loco opportuniùs collocabuntur. Ad ea festinamus, quibus Noster Christianæ civitatis imaginem adumbrat, Christianæque disciplinæ in rempublicam merita enumerat, factionis notam ab Ecclesiâ depellere studens. De hoc enim acerrimum fuit tribus

(1) Apolog., § 1.

sæculis prælium; nec ullam validiorem machinam frangendis Ecclesiæ viribus Christiani nominis hostes parari posse viderunt, quàm si invocaretur in illam Cæsaris auctoritas, proscriberenturque tanquàm patriæ hostes quos impiorum nomen non perdiderat.

Poterat ignosci novæ religionis in antiquas superstitiones contumaciæ : quamvis enim sacra a majoribus instituta specie tenùs usque ad Diocletiani tempora servata sint, jam dudùm tamen omnes ejusmodi religiones doctissimi quique intùs respuerant : nec ullum reperire erat adolescentem liberalibus artibus excultum, quin omnia ad deos pertinentia, optimè memoriâ tenens, animo planè contemneret. Multa quidem congerere possumus hujus incredulitatis monumenta : unus tantùm, brevitatis causâ, afferatur de Tusculanis disputationibus locus, in quo Tullius de morte contemnendâ disserens, sic auditorem adloquitur : « Dic, quæso, num te illa terrent, triceps « apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, transvectio Ache« rontis, num illud

« quod Sisyphu' versat
« Saxum, sudans nitendo, neque proficit hilum :

« fortasse etiam inexorabiles judices, etc.? » Cui auditor : « Adeòne me delirare censes ut ista esse credam? Quis est enim « tàm excors, quem ista moveant (1)? » Ergò, cùm propter violatas religiones Cæsar in Christianos sæviret, veras quidem iras ficto tamen nomine tegebat; nec causam deorum immortalium, sed suam, tuendam susceperat. Unum enim de tot ruinis Numen supererat, imperii Majestas, de quâ vel minimam partem detrahere capitale erat. Nec novus fuit superstitiosus ille publicæ Majestatis cultus : quippe, vigente libertate, unus Deus, patria, una lex, salus patriæ, civibus fuerat. Ergò, omnibus magistratibus in unum congestis, jam pro Senatu populoque Romano princeps observabatur, jam pro Senatus-

(1) Cic. Tusc., quæst. I.

consultis et plebiscitis *rescripta principum legis habebant vigorem*; et plerumque notum illud : *sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas*, apud orbis Romani dominos obtinebat. Huic rerum statui, per quem publicæ potestati, sive a plebe, sive ab optimatibus, sive a rege exerceretur, jus supremum erat de omnibus ità decernendi ut, post latam ab illâ sententiam, causa omninò finita esset, tantâ se facilitate Romana Numina accommodabant, ut publicas religiones tanquàm rem suam ipsa civitas aut ipse princeps administrarent. Verùm, postquàm sese per omnes romanæ ditionis terras nova quædam insinuavit disciplina, æternæ legis tabulas afferens, de cœlo, non de Olympo delapsas, Dei manu, non fabulosæ alicujus Egeriæ conscriptas, postquàm ignoti infimâ de plebe homines, se Deo potius quàm hominibus parere professi sunt, quis non videat quantum exindè detrimenti principum auctoritas sustinuerit? cui antehac supremæ, in secundum jam locum, secundasque partes fuit concedendum. Quisve miretur illos eâ mente fuisse, ut ereptam sibi potestatem recuperarent, pœnasque de audacissimâ factione exigerent, quæ suis legibus, etsi Cæsar prohibuisset, parendum prædicabat? Indè fortè est quòd summi tunc temporis apud Romanos jurisconsulti, iidem infestissimi fuere Christianorum vexatores, odio, opinor, ejus legis moti quam suæ æmulam esse sentiebant. Nec eam litem Christiana sub Constantino victoria in perpetuum diremit : sæpèque, insequentibus sæculis, animadvertere fuit quantas civilis juris periti, judicesque humanis tribunalibus insidentes cum Ecclesiâ, divini juris interprete, gererent inimicitias. Nec, si Ulpianus Christianum nomen penitùs delere studuit, recentiores verò Ecclesiæ tantum manicas injicere conati sunt, non eadem causa varios in utrisque edebat effectus. Quamquàm quid varios dico, quasi Christianum nomen delere non pergat quisquis vim aut insidias in Ecclesiæ libertatem meditatur?

Cùm igitur idem utrique aggrederentur, eadem quoque omnibus in temporibus adversùs Ecclesiam jactitarunt: omnia in

imperio pessùm abitura, si factioni pareatur legum imperia detrectanti, si nova in civitate civitas adolescere sinatur : ipsum illud quòd sint, quòd inter se coeant, quòd, sine magistratuum conscientiâ, multis de rebus in commune consulant, rebellionem esse; cæterùm insociabile id genus hominum, omnia quibus humani generis societas continetur parvi pendere, parentes, amicos, patriam, quippe quibus aliò defixi hæreant oculi; igitur *infructuosos esse rebus humanis*, et quasi inutilia corporis membra præcidenda.

Ad hæc respondere inter nostros solemne fuit : Christianos, quòd magistratuum jura intrà humanos fines continenda censeant, non continuò pro rebellibus habendos; contrà, si quis, adversùs sententiam apostoli, hominibus parere, omissis quæ Deus præcepit, civis esse contendat officium, hunc vix mentis esse compotem; — cæterùm omnia nimia, brevia quoque esse, nec rarò evenire ut fæda servitus in apertam abeat rebellionem ; — Christianos contrà, qui magistratibus principibusque, tanquam hominibus, non tanquam diis, eâ lege pareant ut nil divinis præceptis repugnans exsequi jubeantur, quantò in hoc liberiores, tantò in cæteris observantiores probari; quippè quibus religiosum sit potestatibus obsequi, nec aliter Christianis esse liceat, quàm si *dominis, etiam dyscolis, non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam* (1) sint obsequentes ; nullâ igitur à re magis quàm à factionibus novisque rebus Ecclesiam abhorrere; — præterea, peregrinam in terris, temporalia omnia inanesque hominum contentiones minoris facere quàm ut huic aut illi parti studeat, nec quidquam a victore, quisquis is sit, poscere, nisi ut opus suum perficere, dispersamque cœli progeniem congregare quieta sinatur (2).

Addunt hanc esse christianæ disciplinæ virtutem ut, quamvis cœlestibus omninò intenta, terrenis tamen rebus maximos fructus maximasque afferat utilitates. Quòd enim fautores suos

(1) D. Paul.
(2) Boss. Paneg. S. Thom. Cant.

a seditionibus et violentiis avertit, quantum est ejus in rempublicam meritum? Quòd dominorum feritatem emollit, quòd servorum contumaciam edomat, quòd pauperes opum immortalium promissione solatur, divitibus æterna minatur supplicia, ni se rerum suarum potiùs esse dispensatores quàm dominos intelligant, quòdque ità mutuæ caritatis vinculo naturales amborum conciliat inimicitias, quòd per illam forum litibus, judicia reis, carceres nocentibus vacant, nonne satis magna hæc sunt ejus in Rempublicam beneficia? ut recens scriptor jure dicere potuerit « Christianam religionem quæ futuram « tantùm felicitatem hominibus polliceri videtur, illos etiam « his in terris efficere beatos (1). »

Hæc omnia non minùs vera sunt quàm fuere : neque, si apud hunc aut illum, age, apud multos, apud plerosque, apud omnes alicujus regionis ætatisve homines, hæc Evangelii præcepta jacerent, in vitio ipsa lex foret, sed qui ei minùs obsequerentur. Adde quòd, ex quo lux christianæ veritatis, nullâ jam nocte restinguenda, humano generi affulsit, numquàm, vel perditissimis in ætatibus, verè Christianorum copia defuit, per quos *rectorum generatio* propagaretur. Verùm, quum illud omnibus ingenitum sit ut arborem ex fructu æstiment, tunc præsertim illo quod adumbravimus argumentandi genere uti decuit, tunc que maximè perspicuum fuit quantùm à civitate mundi Dei civitas distaret, cùm adhùc recens à Christo Ecclesia, conditorem suum omnibus quasi lineis exprimebat, nec communi quâdam contenta morum probitate, se tot ferè Sanctos peperisse quot filios gloriabatur , tantamque patiendi constantiam omnibus instillaverat, ut, de illâ Christianorum multitudine igne ferroque petitorum, ne unus quidem intolerabile jugum conatus sit excutere.

Optimam igitur Christianismi apologiam vita Christianorum tunc temporis præbebat, omnemque dicendi copiam pauperculi cujusdam servuli superabat exemplum, per evangelica

(3) Montesquieu, Esprit des Lois.

præcepta in veræ virtutis culmen evecti. Non tamen leve fuit illorum in posteros ipsamque veritatem meritum, qui hæc pietatis, patientiæ, caritatis miracula, scriptis suis in æternam produxerunt memoriam, eloquentiæ splendore res ipsas non ornantes (impium id quidem), sed, quantùm humana passa est infirmitas, adæquantes. Inter quos, primus inter pares, mirâ quâdam omnium conjunctione dotum Septimius eminet, gravis, numerosus, lepidus, acer, animos ità commovens, ut legentibus mentis aciem non (qui plerisque mos est) hebetet, sed potiùs acuat, verèque in hâc Apologetici parte christianæ apud latinos eloquentiæ parens habendus. Nil enim post se, nil aliter atque ipse dixerat, proferendum reliquit; adeò ut princeps hujus ætatis scriptorum, in egregio quod omnes norunt poemate, Christianum fingens causam suorum coram Diocletiano egisse, quod in Eudori oratione maximè miramur, a Septimio fuerit mutuatus. Totus hic locus etiam etiamque perlegendus, si cognoscere velis quantos quàmque novos eloquio latino, duabus jam ætatibus exili atque jejuno, christiana doctrina fontes aperuerit. Nos pauca quasi prælibantes referemus:

« Ventum est ad secundum titulum læsæ augustioris ma-
« jestatis, siquidem majore formidine et callidiore timiditate
« Cæsarem observatis, quàm ipsum de cœlo Jovem : et me-
« ritò, si sciatis. Quid enim? nonne ex viventibus quilibet
« mortuo potior?... Ideò ergò committimus in majestatem
« imperatorum, quia illos non subjicimus rebus suis? quia non
« ludimus de officio salutis ipsorum, quia eam non putamus
« in manibus esse plumbatis?... Nos pro salute imperatorum
« Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum,
« quem et ipsi imperatores proprium sibi præter cæteros
« malunt. Scit enim Cæsar quis illi dederit imperium, ideòque
« magnus est, quia cœlo minor est. Illùc suspicientes Chris-
« tiani, manibus expansis quia innocuis, capite nudo quia
« non erubescimus, denique sine monitore quia de pectore,
« oramus pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam,

« imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, sena-
« tum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quæ-
« cumque hominis et Cæsaris vota sunt. Sic ità nos ad Deum
« expansos ungulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant,
« bestiæ insiliant, paratus est ad omne supplicium ipse habi-
« tus orantis Christiani. Hoc agite, boni præsides, extorquete
« animam Deo supplicantem pro imperatore.....

« Non Deum imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio,
« vel quia illum deridere non audeo. Dicam planè Dominum,
« sed quando non cogar ut Dominum Dei vice dicam. Cæterùm
» liber sum illi; Dominus enim meus est Deus omnipotens
« et æternus: idem qui et ipsius.

« Propterea igitur publici hostes Christiani, quia imperato-
« ribus neque vanos, neque temerarios honores dicant.

« Velim tamen in hâc quoque religione secundæ majesta-
« tis..... fidem et veritatem vestram demonstrare, ne forte et
« istic deteriores Christianis deprehendamini..... Si pectoribus
« ad translucendum quamdam specularem materiam natura
« obduxisset, cujus non præcordia insculpta apparerent novi
« ac novi Cæsaris scenam congiario dividundo præsidentis?
« etiam illâ horâ quâ adclamant: *de nostris annis tibi Jupiter*
« *augeat annos*..... Sed vulgus inquis, ut vulgus.... Planè cæ-
« teri ordines pro auctoritate religiosi ex fide! nihil hosticum
« de ipso senatu, de equite, de castris, de palatiis ipsis spi-
« rat! Undè Cassii, et Albini, et Nigri? undè qui inter duas
« lauros obsident Cæsarem? undè qui faucibus ejus expri-
« mendis palæstricam exercent? undè qui armati palatium
« irrumpunt? de Romanis, nisi fallor, id est de non Chris-
« tianis: atque adeò omnes illi sub ipsâ usque impietatis
« eruptione, et sacra faciebant pro salute imperatoris, et ge-
« nium ejus dejerabant, et utique publicorum hostium nomen
« Christianis dabant. Sed et qui nunc scelestarum partium
« socii aut plausores quotidiè revelantur, post vindemiam
« parricidarum racematio superstes, quàm recentissimis et
« ramosissimis laureis postes præstruebant! quàm elatissimis

« et clarissimis lucernis vestibula nebulabant!... non ut gaudia « publica celebrarent, sed ut vota propria jam edicerent in « alienâ solemnitate.

« Quotiès in Christianos desævitis, partim animis propriis, « partim legibus obsequentes!... Quid tamen umquàm deno- « tastis de tam conspiratis, de tam animatis ad mortem us- « que, pro injuriâ repensatum? quandò vel una nox pauculis « faculis largiter ultionis posset operari, si malum malo dis- « pungi penes nos liceret. Sed absit ut aut igni humano divina « secta vindicetur, aut doleat pati in quo probatur..... Hes- « terni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, « castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decu- « rias, palatium, senatum, forum : sola vobis relinquimus « templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam « impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud « istam disciplinam magis occidi liceret quàm occidere? Po- « tuimus et inermes, nec rebelles, sed tantummodò discordes, « solius divortii invidiâ adversùs vos dimicasse. Si enim tanta « vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus « à vobis, suffudisset utique dominationem vestram tot qua- « liumcumque amissio civium, imò et ipsâ destitutione pu- « nisset : procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram, « ad silentium rerum, et stuporem quemdam quasi mortui « orbis.....

« Edam jam nunc ego negotia christianæ factionis : corpus « sumus de conscientiâ religionis, et disciplinæ unitate, et « spei fœdere. Coïmus ad Deum, quasi, manu factâ, precibus « ambiamus. Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro im- « peratoribus, pro ministris eorum, ac potestatibus, pro statu « sæculi, pro rerum quiete, pro morâ finis. Coïmus ad litte- « rarum divinarum commemorationem, si quid præsentium « temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere : « certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, dis- « ciplinam præceptorum inculcationibus densamus. Ibidem « etiam exhortationes, castigationes, et censura divina. Nam

« et judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei « conspectu.... Præsident probati quique seniores, honorem « istum non pretio, sed testimonio, adepti ; neque enim pre« tio ulla res Dei constat. Etiam si quod arcæ genus est,..... « modicam unusquisque stipem menstruâ die, vel cum velit, « et si modò velit, et si modò possit, apponit : nam nemo « compellitur, sed spontè confert. Hæc quasi deposita pietatis « sunt. Nam indè non epulis, nec potaculis dispensatur, sed « egenis alendis hmandisque, et pueris ac puellis re ac pa« rentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item nau« fragis, et si qui in metallis, et si qui in insulis, vel in « custodiis, dumtaxat ex causâ Dei sectæ, alumni confessionis « suæ sunt. Sed ejus modi vel maximè dilectionis operatio « notam inurit penes quosdam : *vide*, inquiunt, *ut invicem se* « *diligant*. Ipsi enim invicem oderunt..... Igitur, cum probi, « cum boni coeunt, cum pii, cum casti congregantur, non est « factio dicenda, sed curia (1). »

Duo prætereà Septimius memorat Christianæ disciplinæ merita : quòd in illâ tantùm efficaciter pro rerum salute oratur, quòdque soli quibus modis fugari dæmonia possint Christiani noverunt (2). Si alieni tantùm ab evangelicâ fide hæc irriderent, dolendum erat potiùs quàm mirandum multos adeò à veritate exulare, ut, neque quantam per puræ mentis precationes Deus sibi vim inferri patiatur, neque quanta, cunctis in vitæ certaminibus, à mali potestate immineant virtuti pericula, valeant dignoscere. Illud incredibile est, Ecclesiæ alumnos, evangelium à pueris in manibus versantes, per temporum calamitates tantum de pristinâ fide remisisse, ut eos qui orando vacant pro non orantibus, pœnitentiamque pro multis exercent de vitâ flores tantùm carpentibus, tanquam otiosos, inutilesque contemnant, et civitate judicent pellendos. Iidem, si fortè de dæmoniis sermo inciderit, leniter ridebunt, quasi fa-

(1) Apol., § 28, 40.
(2) Apol., § 37.

bulosa quædam monstra, puerorumque terriculæ narrentur. Quòd si quis de illâ spirituum turbâ referatur hominis corpus ingressus, et indè divini sermonis virtute pulsus, narratorem jubebunt talia apud barbaras superstitiosasque gentes μυθολογεῖν.

Nos verò Evangelium erubescere nescimus, neque, aut illam potestatem in Titanas, Centaurósve relegare quam *homicidam fuisse ab initio,* et humano generi maximas intulisse calamitates a veracissimo magistro docemur, neque illam tanti hostis debellandi virtutem parvi pendere, quam ipse toties Christus exercuit, quamque in Ecclesiâ perpetuam fore pollicitus est. — Quæres quibus de causis nullum nostris temporibus edatur hujus miraculi exemplum. Plures fortassis rem diligenter scrutantibus proferre liceret, quarum hæc videtur esse præcipua : Deum, quo abnuente nil dæmonibus vel conari fas est, infernæ potestati paulò laxiores, primis Ecclesiæ temporibus, solvisse habenas, fecisseque plenam pro aris et focis decertandi facultatem, quò major illustriorque Christi fieret triumphus, cùm ipsi mendaces spiritus veritatem suopte testimonio confirmare cogerentur. Quid verò, si me planè causam nescire respondeam? Ideòne certissima antiquorum temporum documenta in dubium vocabuntur, quia nil simile apud nos geritur? aut legem Deo præscribemus quâ mundi ordinet eventus? Quid, si hæ dæmoniorum ingressiones, ejectionesque, te nescio, sæpiùs in Ecclesiâ iterentur, cùm duobus modis homines à dæmonio obsideantur, nunc vexante corpora, nunc animas oppugnante, totiesque apostolis promissa potestas exerceatur, quoties anima, diabolo per peccatum mancipata, ad veterem dominum veteraque castra per pœnitentiam revertitur?

Unum restabat Christiano nomini infensis, disciplinam, quam sanctam, innocentem, reipublicæ utilem, omnia ostendebant, elevare, τὸ θεῖον ab illâ auferentes, atque ità laudabilem fatentes ut nil novum tamen afferre dicerent, nec aliud esse quàm quoddam philosophandi genus. Nostro, ni opus jam absolutum ad finem perducere properaret, optima daba-

tur occasio ut imprudenter oblatam arriperet comparationem, atque indè clarissimos christianæ disciplinæ pararet triumphos, undè illi clades maxima parabatur. Sive enim omnium antiquitatis philosophorum doctrinam in universum perlustres, quid aliud cernes quàm confusam quasi sententiarnm aciem inter se pugnantium? Sive singulas scruteris, nulla est quæ secum consentiat, nulla quæ veritatis particulam, sibi feliciter offensam (1), gravissimorum de Deo, de homine errorum non admixtione adulteraverit. Nil mirum igitur si, veram hominis, veramque Dei naturam ignorantes, illa quoque nescierunt indè defluentia, quis homini finis proponatur, quid ut summum bonum sit appetendum. Alii enim, totum humani animi belluarumque tollentes discrimen, ejus modi summum bonum constituerunt, quod, non te erigendo, sed contra in infima terrenaque demittendo, contingere queas. Alii humanam naturam, ne humi jaceret, in cœlum evexerunt, divinam æternamque fingentes : undè orta est, quùm voluptatis, ut pote ratione indignæ, contemptus, tùm superba quædam suî contemplatio, virtusque propriis laudibus plus æquo intenta.

Plerique hominem intrà se incluserunt, plerique flammam illam amoris, undè omnes veræ virtutes accenduntur, restinxerunt. Non sic Christiana disciplina, quæ, nostram nos naturam, nostramque verè docens originem, non aliter expleri posse sitim pectori nostro insitam optimè perspexit, quàm si aliquid extrà supràque nos quærendum, amandum, fruendum, daretur; neque aliter charitatis vinculo universum genus hominum posse contineri, quàm si supremus ille, quo numini adhæremus, amor, omnium vel ignotorum, vel inimicorum et malè de nobis meritorum, in cordibus nostris accenderet amorem. Habes totam quasi Christianismi formam, duobus inclusam præceptis, atque uno *charitatis* vocabulo optimè exprimendam : quo nihil planius, nihilque magis, ut videtur, in promptu situm; nil autem, si rem ipsam spectes, magis antè

(1) De An.

Christi tempora ignotum. Christus, omnium primus, Dei, et humani generis propter Deum, docuit charitatem : Christus, solus omnium, perennem condidit civitatem, quæ sanctissimam charitatis flammam humanis in pectoribus semper servavit accensam. Si enim agendi præcepta tantoperè inter se discrepant, quanta erit factorum dissimilitudo? Equidem multa honestè, imò præclarè facta fuisse à veteribus philosophis non negaverim : quippè adversùs iniquissimam calumniam multa de vitâ morteque Socratis jure proferrentur, totaque Stoïcorum secta insnrgeret, cui ultima romanæ libertatis exempla, optimosque orbis Romani deberi dominos omnibus notum est. Verùm, ut illud omittatur quòd paucissimi vitas suas ad Stoïcorum aut Socraticorum præceptorum normam accommodaverunt, Christianam verò disciplinam immensa multitudo amplexa est, quis philosophorum vitam cum vitâ Christianorum conferat, Alcibiadis amicum, vel (si Platoni credendum) amatorem, cum purissimo quem Jesus dilexit discipulo, M. Aurelium cum S. Ludovico, illam superbiam cum hâc humilitate, illas artes simulationesque animi fabulosos Deos coram populo colentis, intùs irridentis, cum hâc pietate Deum amantissimè amplexâ, et sese pro humani generis salute devovendi cupidâ. Hanc vivendi dissimilitudinem quam à cresdendi differentiâ procedere ostendimus, postquam plurimis Septimius confirmavit exemplis, scitè illud addit quod totum, meâ quidem sententiâ, dirimit controversiam : « Non jam « Christianos haberi qui apud nos talia fecerint qualia in phi« losophis reperiantur, philosophos verò, cum talibus factis, « in nomine et honore sapientiæ perseverare (1). »

Meritò igitur exclamat Septimius : *quid simile philosophus et Christianus? Græciæ discipulus et cœli* (2)? absolutum est illam disciplinam in quam totis viribus romanum insurrexit imperium, non philosophiam esse paulò cæteris meliorem,

(1) Apol., § 46.
(2) *Id. ib.*

sed divinæ benevolentiæ munus. Quæ enim mortalibus per densissimas palantibus tenebras lumen accendit undè tota vitæ via illuminaretur, quæ mundum superbiâ, voluptatibus, effreno suî amore, laborantem, virtutibus ornavit quas anteà aut nesciverat aut reformidaverat humana infirmitas, verâ caritate, verâ pudicitiâ, verâque humilitate, illa opus suprà vires humanas positum exegit, atque *ipso incessu* divina patuit.

CAPUT III.

SEPTIMIUS MORUM INFORMATOR.

Ut duo sunt officiorum species, ità duo librorum genera inveniuntur ad informandos hominum mores conscriptorum. Quamvis enim unus idemque sit omnibus temporibus rectè vivendi finis, vitam beatam Deique possessionem consequi, ideòque omnium pectora semper iisdem virtutibus, caritate, humilitate, castitate, ornata esse deceat, quædam tamen in officiis, pro cujusque personâ, pro locis et temporibus, varietas cernatur necesse est: quippe non eædem pace belloque, secundis adversisque rebus, virtutis exercendæ occasiones. Homines ab avaritiâ, libidine, superbiâ dehortaturus, omnibus vel posteris dices; communibus enim totius hominum generis morbis cauterium paras inurere. At non omnis ætas desiderat qui martyria fortiter obeunda, abstinendumque ab idolorum cultu, prædicent. Indè est ut omnes de moribus libros non eadem fortuna maneat, citòque illi consenescant qui utilitatem habent intrà certos annos certasque regiones circumscriptam; qui verò non Græcis, aut barbaris, non veteribus aut recentioribus, sed hominibus, *in quantùm* homines sunt, proponuntur, perenni juventâ virescant.

Hanc officiorum partem neque Noster omnino neglexit, neque in hoc genere auctoritati famæque suæ non satis, ut infrà perspicietur, respondit. Verùm multò diligentiùs (quod et temporum ratio poscebat, et hominis ingenio congruebat) in id elaboravit ut pericula ab Ethnicis Christianorum moribus

imminentia depelleret. Plures igitur eò spectantes libros conscripsit, quos tu ne despicias quasi nihil ad nos pertineant. Quippe, omisso quòd nulla tam temporalia sunt officia quæ non ad aliquam virtutem pertineant omnibus in ætatibus exercendam, multaque præcepta, à Christianis inter Ethnicos exulibus, ad Christianos in mundo, semper aliquatenùs ethnico, degentes transferri possunt, plura continet pars illa Septimianarum litterarum, Apologetici quasi complementum, quibus et historia illorum temporum, et Christianorum Ethnicorumque morum discrimen illustrari possint, quæque hìc retulisse haud pœnituerit.

I. Præclarum sanè spectaculum acies ad prælium instructa, cùm adsignatam sibi quisque stationem fortiter occupans, impetum hostis immotus expectat, intereà ducem brevibus verbis suos adhortantem ità universi audiunt, quasi vox sanctissima patriæ se civium virtuti committentis in singulorum aures et pectora descendat. Sed nescio an, ingruente persecutione, nobilius aliquid visu Christianorum castra præbeant. Tunc omnium oculi in Christum, unum militiæ ducem, vertuntur; tunc ipsa mater Ecclesia, matre illâ, de quâ in Machabæorum libro legimus, haud inferior, in eo tota est ut natorum multitudinem spiritalibus armis ante prælium instruat, in acie labentes erigat, nutantes confirmet, fortiter decertantibus gratuletur, victoriâ simul vitâque functos non tam defleat quàm magnificet, interim, querentibus certaminis violentiam majorem esse quàm pro humanis viribus respondeat, impiasque vi veritatis murmurationes compescat.

Digna sanè fuit Septimii eloquentia quæ inter tantos armorum strepitus latè resonaret, dignissimi mares Fidelium animi qui bellicis Christiani Tyrtæi carminibus (nam verè carmina sunt) accenderentur :

« Si certaminis nomine Deus nobis martyria proposuit, per
« quæ cum adversario experiremur, liberalitas in hoc magis
« quàm acerbitas Domini cernitur. Evulsum enim hominem
« de diaboli gulâ per fidem, jam et inculcatorem ejus voluit

« efficere per virtutem; ne solummodò evasisset, verùm « etiam evicisset inimicum. Amavit qui vocaverat in salutem, « invitare et ad gloriam; ut gaudeamus liberati, exultemus « etiam coronati.... Deum dedecebit artes et disciplinas suas « vocare in medium, in hoc sæculi spatium, in spectaculum « hominibus, et angelis, et universis potestatibus? carnem « atque animam probare de constantiâ et tolerantiâ? dare « huic palmam, huic honorem, illi civitatem, illi stipendia? « Quid nunc, si non certaminis nomine in martyria fidem « exposuisset, sed et proprii profectûs; nonne oportebat « illam habere aliquem spei cumulum, cui studium suum « cogeret, votumque suspenderet, quò eniteretur ascendere, « quum terrena quoque officia in gradus æstuent? Porrò, si « et fidei propterea congruebat sublimitatis et claritatis ali- « qua prolatio, tale quid esse oportuerat illud emolumenti, « quod magno constaret, labore, cruciatu, tormento, morte. « Sed respice compensationem: cùm caro et anima dependi- « tur, quibus in homine carius nihil est, alterum manus Dei, « alterum flatus, ipsa dependi in profectu, quorum est pro- « fectus; ipsa erogari quæ lucrificant; eadem pretia quæ et « merces. Prospexerat has Deus imbecillitates conditionis hu- « manæ, adversarii insidias, rerum fallacias, sæculi retia, « etiam post lavacrum periclitaturam fidem, perituros ple- « rosque rursùm post salutem, qui vestitum obsoletassent « nuptialem, qui faculis oleum non præparassent, qui requi- « rendi per montes et saltus, et humeris essent reportandi. « Posuit igitur secunda solatia, extrema præsidia, dimicatio- « nem martyrii et lavacrum sanguinis exindè securum.... Sic « dilectio operit multitudinem delictorum, quæ Deum scilicet « diligens, ex totis viribus suis, quibus in martyrio decertat, « ex totâ animâ suâ, quam pro Deo ponit, hominem marty- « rem excudit. Hæc tu remedia, consilia, judicia, spectacula, « etiam Dei atrocitatem judicabis? Sanguinem hominis Deus « concupiscit? Et tamen ausim dicere, si et homo regnum « Dei, si et homo certam salutem, si et homo secundam rege-

« nerationem... Incutiat adhùc Scorpius (1), homicidam Deum « ventilans, horrebo planè spurcum blasphemiæ flatum de hæ- « retico ore fœtentem : sed et talem Deum de fiduciâ rationis « amplectar, quâ ratione etiam ipse se plus quam homicidam « pronunciavit ex Sophiæ suæ personâ, voce Salomonis : So- « phia, inquit, jugulavit filios suos. Sapienter utique jugulavit, « dum in vitam, et rationaliter, dum in gloriam. O parricidii « ingenium! ô sceleris artificium! o argumentum crudelitatis « quæ idcircò occidit, ne moriatur quem occiderit! Et ideò « quid sequitur? Sophia in exitibus cantatur hymnis : canta- « tur enim et exitus martyrum.... O bonam matrem! opto et « ipse in filios ejus redigi, ut ab eâ occidar : opto occidi ut « filius fiam (2). »

Hæc ad omnes, et in christiani nominis confessionem præparatoria. Sequentibus verò audientium conditio aliquid addit quod atticam ἀγοράν, romanaque rostra vincat. Nam Septimius confessores carcere jam inclusos, Christoque intrà paucos dies voluntario sanguine litaturos sic adloquitur :

« Exindè segretati estis a mundo. Si enim recogitemus « ipsum magis mundum carcerem esse, exisse vos è carcere « quàm in carcerem introisse intelligemus. Majores tenebras « habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant. Gravio- « res catenas induit mundus, quæ ipsas animas hominum « constringunt. Pejores immunditias exspirat mundus, libidi- « nes hominum. Plures mundus reos continet, scilicet uni- « versum hominum genus. Judicia denique non Proconsulis, « sed Dei sustinet. Quò vos, benedicti, de carcere in custo- « diarium si fortè translatos existimetis. Habet tenebras, sed « lumen estis ipsi. Habet vincula, sed vos Deo soluti estis. « Triste illic exspirat, sed vos odor estis suavitatis. Judex ex-

(1) Hunc locum ex libro excerpimus qui *Scorpiace* inscribitur, sive theriaca adversùs scorpiorum morsum, propter quamdam, ut auctori videtur, Gnosticorum à martyrio dehortantium cum scorpiis similitudinem.

(2) Scorpiace, § 6, 7.

« pectatur, sed vos estis de judicibus ipsis judicaturi.... Jàm « non vides alienos deos, non imaginibus eorum incurris, « non solemnes nationum dies ipsâ commixtione participas; « non nidoribus spurcis verberaris; non clamoribus spectacu- « lorum atrocitates, vel furores, vel impudicitias celebran- « tium cæderis; non in loca libidinum publicarum oculi tui « impingunt; vacas à scandalis, à tentationibus, à recordatio- « nibus malis, jam et à persecutione. Hoc præstat carcer « Christiano, quod eremus prophetis....

« Sit, nunc, benedicti, carcer etiam Christianis molestus. « Vocati sumus ad militiam Dei vivi, jam tunc cùm in sacra- « menti verba respondimus. Nemo miles ad bellum cum deli- « ciis venit, nec de cubiculo in aciem procedit. Proindè vos, « benedicti, quodcumque hoc durum est, ad exercitationem « virtutum animi et corporis deputate. Bonum agonem subi- « turi estis, in quo agonothetes Deus vivus est, xystachus « Spiritus sanctus, corona æternitas, brabium angelicæ sub- « stantiæ politia in cœlis, gloria in sæcula sæculorum. Itaque « epistates vester Jesus Christus qui vos spiritu unxit, et ad « hoc scamma produxit, voluit vos antè diem agonis ad du- « riorem tractationem a liberiore conditione seponere, ut vi- « res corroborarentur in vobis. Nempè enim et athletæ segre- « gantur ad strictiorem disciplinam, ut robori ædificando « vacent: continentur à luxuriâ, à cibis lætioribus, à potu « jucundiore; coguntur, cruciantur, fatigantur; quantò plus « in exercitationibus laboraverint, tantò plus de victoriâ spe- « rant. Et illi, inquit Apostolus, ut coronam corruptibilem « consequantur. Nos æternam consecuturi, carcerem nobis « pro palæstrâ interpretemur, ut ad stadium tribunalis, bene « exercitati incommodis omnibus, producamur. » Dein, postquàm multa mortis dolorisque, gloriæ causâ, ab Ethnicis contemptorum documenta protulit, hæc addit: « Si tantum « terrenæ gloriæ licet de corporis et animi vigore, ut gla- « dium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant, sub « præmio laudis humanæ, possum dicere, modicæ sunt istæ

« passiones ad consecutionem gloriæ cœlestis et divinæ mer-
« cedis. Si tanti vitrum, quanti margaritum (1)? »

II. Dura certè tempora quibus talia prædicari necesse fuit: dura, fateor, sed ideò gloriosa, et pacis otiique discriminibus feliciora: « Tunc enim Ecclesia in attonito est. Tunc et fides « in expeditione sollicitior, et disciplinatior in jejuniis, et « stationibus, et orationibus, et humilitate, in alterutrâ dilec- « tione, in sanctitate et sobrietate: non enim vacatur nisi ti- « mori et spei (2). » Ut exclamare cum B. Cypriano libeat: « O beatam Ecclesiam nostram, quam sic honor divinæ digna- « tionis illuminat, quam temporibus nostris gloriosus marty- « rum sanguis illustrat! Erat antè in operibus fratrum can- « dida; nunc facta est in martyrum cruore purpurea: floribus « ejus nec lilia nec rosæ desunt (3): » nec B. Hilarium optasse miremur « ut sibi ministerium confessionis suæ Decianis « Neronianis ve temporibus explesse contigisset (4). »

Pejora scilicet Ecclesiæ secura pax, etiam incertæ induciæ, arbitrio principum interdum concessæ, minabantur, quàm bellicus ille persecutionum apparatus: nempè ne, remotis virtutum incitamentis, pristinus fervor in desidiam declinaret, neve infidelium admixti moribus, nil de patriâ severitate Christiani servarent integrum. Non enim, ut ipse docuerat Septimius, si Christus suos seculum, id est seculi concupiscentias respuere jussit, ideò cætus hominum, civilisque vitæ officia Christianis fugienda erunt: paucis in solitudinem vocatis, iisque debitam humano generi, patriæ, suis, benevolentiam *orando* exsolventibus, totam christianæ gentis molem, ipsamque Ecclesiam Deus in mundo degere voluit, ut essent qui hominibus inter fluctus vitæ per cœcam errorum noctem jactatis, lumen accensum portumque apertum ostenderent. Proindè Christianus omnia, quibus hominum inter se societas continetur, munia

(1) Ad martyras, pass.
(2) De fug. in persec., § 1.
(3) D. Cyp. ad martyr. et confessores.
(4) Hilar. in Constant.

impiger obibit, nisi quid ex illis divinæ militiæ sacramento repugnet: cohabitabit hoc sæculum, cum infidelibus navigabit, militabit, rusticabitur, miscebit artes, operas suas omnium usui publicabit (1). Jam quis non videat quàm scopulosi fluctus Christianæ classi enavigandi proponantur, cùm idololatria non templa tantùm, quorum nos limen non adimus, sed forum, macellum, balnea, tabernas, officinas cæteraque commercia (2) repleverit. Multos queis ad supplicia semel pro Christo toleranda non deesset animus, quotidianæ inter epulas, studia, lusus, forensia castrensiaque officia confessionis pudebit; multi imprudentes peccabunt, et latens ubique idololatriæ venenum inconscii haurient: hos docere, illos arguere decet.

Tantis Noster motus periculis plura conscripsit, ut adversùs circumfusi morbi contagium, gregem Domini præmuniret. Cùmque idololatria in domestica civiliaque, in artes per quas victus conquiritur, in lusus quibus recreantur animi, irrepere soleat, singulas singulis libris materias pertractare aggressus est, fusèque ab ethnicis artibus, spectaculis, vestibus, conjugiis, docuit abstinendum: quæ omnia breviter referre conabimur, si quid ex communi Ecclesiæ disciplinâ per nimiam severitatem Septimius exorbitaverit, obiter notantes.

1° De idololatria. —Auctor, in libro *De idololatriâ* inscripto, hoc propositum habuit, ut errori quorumdam obviam iret qui, sibi indulgentes, multas artes, quamvis idololatriam redolentes, securi exercebant. Postquàm igitur in idololatriam, omnium peccatorum fontem, acriter invectus est, non eos solos in tantum crimen incidere definit qui ipsi victimas immolent; omnis enim circà idola famulatûs eamdem esse conditionem, nec minùs idoli artificem quàm cultorem esse damnandum. Siquidem nulla major apostasia, quàm quæ idolis præstat ut sint, ut colantur, plusque fabricator simulacri est quàm sa-

(1) Apolog., § 42.
(2) *Id. ibid.*

cerdos, nec fabricator solus, sed etiam templorum exornator. Si quis necessitatem victûs prætendat, is se ipse volens decipit : quot enim et quanta faber suo artificio efficere potest, per quæ sine exorbitatione disciplinæ, id est, sine idoli conficturâ, vitæ necessitatibus consulat, cùm non ars ipsa, sed usus meritò culpetur : quò magis præcavendum est ne quid, nobis consciis, à manibus nostris in rem idolorum postuletur. Prætereà serò venit tota hæc de victu sollicitudo : *Status fidei non admittit necessitates ;* antè fuit deliberandum quam in Ecclesiam intrares ; ipseque Deus egenos felices vocat, et ea fideli vitæ promittit quibus neque aves neque lilia carere patitur. Sacrificiis, cùm privatis, tùm publicis interesse non minùs à Christianâ disciplinâ alienum est. Sunt tamen qui à talibus non abstineant, eo nempe, ut aiunt, animo, ut *omnibus placeant*, et nomen Domini inter gentes non blasphemetur, quasi etiam peccando placendum sit malis. At nunc, Ethnicis pejores, qui nullam festam, etsi nossent, nobiscum celebrarent, fores nostras die quoque festo lucernis et laureis, quasi quædam templa, imò lupanaria, ornamus. Officia tamen privatarum solemnitatum, togæ puræ, sponsalium, nuptialium, per se munda credimus ; sed cavendum, ne, si qua irrepserit idololatria, approbatores potiùs quàm spectatores videamur. Ut si, per falsos Deos juratione obligatus, quiescas, ne Christianus intelligaris ; si pauper à te donatus eleemosynâ propitios tibi Deos optet, tu verò immundam benedictionem non rejicias : negat enim Deum quicumque dissimulat. « Inter « hos scopulos et sinus, inter hæc vada et freta idololatriæ « velificata spiritu Dei fides navigat, tuta si cauta, secura si « attonita. »

Nil hactenus est quod reprehendas, ut medium illud nimiæ severitatis laxiorisque indulgentiæ excedens. Septimium credas fidissimum ecclesiasticæ disciplinæ extitisse interpretem, nisi eodem in opere multa reperiantur quæ et hæreticum arguunt, et aliis de Apologetico locis manifestè repugnant. Mercari, docere litteras, rempublicam administrare, militare pro-

hibet : « Negotiatio servo Dei apta est? Cæterùm, si cupiditas « abscedat, quæ est causa acquirendi, cessante causâ acqui- « rendi, non erit necessitas negotiandi.... (1). Ludimagistros « et cæteros litterarum professores non dubitandum est affi- « nes esse multimodæ idololatriæ... (2). Si quæris an fidelis « ad militiam converti possit, et an militia ad fidem admitti, « etiam caligata, vel inferior quoque, cui non sit necessitas « immolationum,... non convenit sacramento divino et hu- « mano, signo Christi et signo diaboli, castris lucis et castris « tenebrarum : non potest una anima duobus deberi, Deo et « Cæsari... (3). Tu, si diaboli pompam ejerasti, quidquid ex « eâ attigeris, scias esse idololatriam : vel hoc te commone- « faciat, omnes hujus sæculi potestates non solùm alienas, « verùm etiam inimicas Dei esse, quòd per illas adversùs Dei « servos supplicia consulta sunt (4). » Actum erat de chris- tianâ in civitatibus disciplinâ, si talia apud Ecclesiam obtine- rent, nihilque Christianis, humani generis odium jam profi- tentibus, reliquum erat, nisi ut sese in sylvas, rupicum et gymnosophistarum ritu recipientes, omniaque exsecrati per quæ aut alitur, aut administratur, aut floret, aut se adversùs hostiles impetus patria tuetur, *exules vitæ* fierent. Causa tanti tamque exitiosi erroris, si quæras, in promptu est : quòd Noster in artibus per se honestis, vitia tantùm respexit quibus per eos infectæ sunt qui illas malè exercebant, et ea pros- cripsit quæ in pristinam tantùm integritatem revocanda fue- runt. Magistratus ergò Christiani capessent, modò nil Cæsari tribuant, nisi quæ Cæsaris sunt : militabunt, modò Thebanam legionem, si occasio inciderit, imitentur. Negotiabuntur, modò illa negotiatio sit, non doli aut furta. Litteras, etiam profa- nas, docebunt, modò errorum enarratione ad insinuandam

(1) De idolol., § 1.
(2) *Ib.*, § 10.
(3) De idolol., § 19. Eadem in libro de Coronâ fusiùs tractantur.
(4) *Ib.*, § 18.

veritatem utantur. Denique nil omittent, ut Dei regnum etiam in hoc sæculo constituatur.

2° De spectaculis. — Opusculum de Spectaculis, severis quoque, sed non ultrà quàm satis est, præceptis repletum, eâ mente conscripsit Septimius, ut Christianos, præsertimque catechumenos, ab adeundis gentium spectaculis averteret. Non enim deerant qui, laxiora suadentes, nihil in his remissionibus jure reprehendi contenderent, quum nihil in eis inveniatur, quod non à Deo hominibus concessum atque attributum fuerit. Quibus occurrens, hanc docet esse communem peccandi rationem, ut bona corrumpantur; nihil enim à Deo conditum esse quod non materia scelerum efficiatur; ipsum quoque hominem, imaginem Dei, non opus tantùm, ab illo sæpissimè averti. Paucis itaque profligatâ quam infideles defensionem prætendebant, ad solvendas fidelium dubitationes se totum convertit, qui spectacula nominatìm in Scripturis prohibita non esse mirabantur. Respondet, cùm ii commendantur *qui in concilia impiorum non abierunt*, uno vocabulo etiam spectacula contineri, facili transitu de genere ad speciem; item pompas à nobis in baptismo rejectas, quid aliud esse quàm idololatriam? undè, si totam spectaculorum materiam idololatriâ refertam inveneris, absolutum esse nequaquàm Christiano talia participanda. Igitur pergit Septimius de spectaculorum originibus quærere, de nominibus, apparatibus, locis, artibus, idololatriam, quoquò se converterit, deprehendens. Originem enim inquirenti constat ludos omnes inter religiosa haberi, Conso, Libero, Marti, Jovi, à Romulo et aliis dicatos. Quod singulorum, sive sacrorum, sive feralium nomina confirmant. Si ad circenses potissimùm spectes, quorum cupidine gens romana flagrat, totus rei gerendæ apparatus idololatriam spirat, cærimoniæ, locus ipse à veneficâ filiâ Soli sacratus, singula circi ornamenta à suo numine habentia nomen, omnia denique dæmoniorum cœtu occupata, inter quæ nullus Christiano

honestè locus esse potest. Theatris idem in origine reatus, quæ primus omnium Pompeius, populi favorem captans, ædi Veneris, censorum severitate elusâ, adjunxit. Theatrum Veneris, Liberi quoque domus est, omniaque ibi utriusque patrocinio digna geruntur. Jam ars ipsa scenica, cujus auctores in eorum quos exsecramur divûm numero habentur, vel eâ causâ respuenda sit Christianis.

Postquàm igitur spectacula, interposito idololatriæ nomine, proscripsit, ad aliud argumentandi genus conversus, eadem ut irritamenta voluptatis damnat : siquidem per illa immeritis odiis animi replentur, qui diligere jubentur etiam inimicos; libido carnis accenditur, dum ea palàm admitti vidimus, quæ nec in penetralibus geri, nec sermone referri honestè possunt. Denique, si vel nocentis supplicio gaudere furor est inhumanus, quantò magis turbæ in arenam nullâ de noxâ descendentis cæde delectari! quanta dementia, quæ aliàs exseramur, ea pro licitis intrà circi limites habere, totoque pectore amplecti. Omnia, penes Dei veritatem fixa sunt, nec, mutatis locis, mutantur. Prætereà cùm gentiles, in ludorum amorem effusi, lusores nihilominùs notent, omnium ademptione honorum capitisque deminutione damnent, quantò magis divina justitia in ejus modi artifices animadvertit, qui omnia sibi à Deo data in deterius detorquent, nil integrum sincerumque servantes, ausique, contrà quàm Deus vetuit, sexum non suum fingere. — Quin, ipsi quid Christiano sit officii Ethnici præscribunt, qui aliquem ex suis, nullo alio magis indicio Christianum agnoscunt, quàm ex repudio spectaculorum. Igitur ab his locis spectaculisque abstinendum, in quibus non licet Dei laudibus, virtutumque exercitationibus dare operam; nec illis in vitâ voluptates quærendæ qui mori etiam cum voluptate debent. Aut si delectamentis hoc vitæ spatium indiget, « quæ « major voluptas quàm fastidium ipsius voluptatis? quàm er« rorum recognitio? quàm tantorum retrò criminum venia? « quàm vera libertas? quàm conscientia integra? quòd deos

« calcas nationum? quòd dæmonia expellis? quòd Deo vivis?
« Hæc spectacula Christianorum, sancta, perpetua, gratuita :
« in his tibi circenses ludos interpretare... Si scientiæ, doc-
« trinæ delectant, satis nobis litterarum est, satis versuum,
« satis sententiarum, satis etiam canticorum, nec fabulæ sed
« veritates. Vis et pugilatus et luctatus? præstò sunt non
« pauca simul. Aspice impudicitiam dejectam à castitate, per-
« fidiam cæsam à fide, sævitiam à misericordiâ contusam,
« petulantiam à moderatione adumbratam : et tales sunt apud
« nos agones, in quibus ipsi coronamur. Vis autem et san-
« guinis aliquid? habes Christi. Quale autem spectaculum in
« proximo est, adventus Domini jam indubitati, jam superbi,
« jam triumphantis! quæ illa exultatio angelorum! quæ gloria
« resurgentium sanctorum! quale regnum exindè justorum!
« qualis civitas nova Jerusalem (1)! »

3° De cultu fœminarum. Hæc ad christianæ plebis universitatem : muliebrem quoque sexum, cujus recti pravive mores, ipseque habitus, tantùm exemplo et quâdam *supplici omnipotentiâ* in omnes valent, propriâ instruere disciplinâ voluit, duosque *de Cultu fœminarum* conscripsit libros, illas à nimio vestimentorum ornatuumque luxu dehortaturus. Nolim tamen optimæ causæ patronus, et fabularum à libro Enoch depromptarum auctoritate, et argumentis vix adolescentulo dignis usus esset. Cùm enim aurum argentumque irridet, quasi nihil aliud sint quàm *terra scilicet gloriosior, quoniam in maledictorum metallorum feralibus officinis pœnali opere deplorata nomen terræ in igne reliquit, atque exindè de tormentis in ornamenta, de suppliciis in delicias, de ignominiis in honores metalli refuga mutatur,* cùm eadem viliora ferro asserit, utpote in pauciores vertenda utilitates; cùm *lapillos istos, qui auro superbiam jungunt, terræ minutalia*, et *margarita, duras rotundasque verrucas* nuncupat; denique, cùm impium ait albam assyrio lanam fucare veneno, nec Deo placere quod ipse non produxerit, nec licere, quæ non

(1) De Spectaculis, §§ 29, 30.

voluerit, purpurea nasci vellera, iis mentitum induere colorem, quem tandem his atque talibus in suam adducet sententiam (1)?

Verùm in altero libro se digniorem invenimus Septimium, illudque, quod jam diximus, propositum servantem, ut christianam vitam Ethnicorum admixtione morum corrumpi non patiatur. A gentilium matronis christiana mulier, ut in cæteris, incessu quoque divertere debet, quoniam perfectæ pudicitiæ appetitio suî non tantùm non expetenda, verùm etiam exsecranda est. Ità ergò incedat, ut, de conscientiâ suâ confisa, tamen timeat; timor fundamentum salutis est, præsumptio verò impedimentum timoris. Quid autem alteri periculo est, quem ut nosmetipsos diligere jubemur? Ideò non tantùm fictæ pulchritudinis studium respuendum, sed etiam naturalis speciositas obliteranda: nam, etsi accusandus decor non est, ut divinæ plasticæ accessio, ut animæ aliqua vestis bona, timendus est tamen propter pericula ex illo redundantia. Prætereà, à Christi disciplinâ alienum est de ullâ re gloriari, quantò magis de carne occasionem peccatis præbente; à conjugali disciplinâ, aliis studere quàm marito placere. Servetur itaque honestæ munditiæ modus: quòd si vestitûs et reliqui ornatûs pompâ propter dignitatem fortè utendum fuerit, meminerit pia mulier Apostoli ità uti, ità possidere jubentis, tanquam neque utamur, neque habeamus. Ne plura, quæ causa Christianæ instructiùs prodeundi, cùm ab omnibus locis abstineat in quibus talis pompa requiritur, omnesque illi progrediendi foràs occasiones, gravitatem, non luxum exposcant?

4° Denique, duobus libris uxorem suam Noster allocutus est, quibus nihil gravius, aut purius, aut etiam jucundius, nil ad illustrandos christianæ antiquitatis mores utilius, illis temporibus invenias. Quid de nuptiis, de virginitate, de viduitate sentiret, hoc opusculo, ad uxorem pari consensu à se separatam directo, declaravit Septimius. Iis nullo modo

(1) De Cult. femin., l. I, § 4-7.

suffragatur qui à nuptiis omninò abhorrendum ducunt, cùm unius maris uniusque feminæ conjunctio, à Deo in principio rerum instituta, dein, propter duritiam temporum, in polygamiam corrupta, ad pristinæ integritatis formam tandem à Christo revocata sit. Ità tamen nuptias probat ut eas permissas potiùs propter majoris mali devitationem, quàm propter se laudatas judicet, optimèque ostendit quantùm virgines, jam angelicæ familiæ in terris adscriptæ, nuptis præstant, quas vel concupiscentia carnis, vel concupiscentia sæculi in matrimonium compulit, quàmque expeditiùs illis ad cœlum festinare liceat, quæ nullâ rerum humanarum sollicitudine detineantur. Indè ad viduitatem laudandam pergit, virginitati proximam, uxoremque hortatur ut, si prior ipse sæculo excesserit, se nullis iterùm carnis impediat vinculis. Semel succubuisse satis est, et uno matrimonio omnem hujusmodi concupiscentiam expiasse. Cæterùm viduitatis integritatem, quamvis arduam, ipsæ gentilium matronæ, aliæ defuncti conjugis desiderio, aliæ superstitiosâ quâdam religione, sæpiùs servaverunt; quid ergò indignius quàm Christi servam hoc pro Christo nolle amplecti, quod multæ, inani desiderio, aut dæmoniorum imperio obsequentes, sustinuerunt? Jàm quantùm Ecclesiæ secundæ nuptiæ displiceant ipsa præscriptio Apostoli declarat, cùm digamos non sinit præsidere, cùm viduam allegi in ordinem, nisi univiram, vetat. Quòd si viduarum virginumque status inter se comparentur, diversos potiùs quàm impares invenias, cùm hic felicior sit, ille operosior; in altero gratia, quæ integrum ab omni terrenâ labe corpus cum animâ servavit, in altero virtus, se à voluptate haud ignotâ vindicans, laudetur.

Altero libro, Septimius, utpote qui repetitas nuptias nondum ut omninò vetitas prohiberet, humanæ memor fragilitatis, ad secunda se consilia convertit, uxoremque, monet ut saltem, id quod potest, et debet, et Apostolus præscribit, in Domino nubat. Apostolus enim, postquàm, uxorem, defuncto viro, liberam pronunciavit, iterùmque nubendi fecit potestatem, in Domino nubendum strictè definit: quo quid aliud quàm chris-

tiani viri selectio significatur? Nec ullus Apostolum pugnantia loqui in hoc existimet, quòd idem uxorem fidelem à viro infideli discedere vetat. Si enim matrimonio adstrictam, posteàque gratiâ illuminatam, cum viro infideli perseverare licet, cùm eâ spe ut eum ad veritatem paulatim alliciat, tùm propter divortii inhibitionem à Domino pronunciatam, non continuò fidelem liberamque mulierem licet in matrimonium gentilis quasi in quamdam foveam spontè ruere, jam non virum sanctificaturam, sed ipsam potiùs à viro inquinandam. Quomodò enim infideli commercio fides non obliterabitur, sæcularibus munditiis modestiâ non corrumpetur, sanctitas matrimonii turpibus Ethnici blanditiis non violabitur? Quomodò pietatis officia adimplebit, habens in latere diaboli servum? ægros fratres in tuguriis, confessores in carcere visitabit? nocturnis solemnibus aderit? Hæc omnia inscio viro exerceri nequeunt, conscio, non sine crimine violati mysteriorum secreti, exercentur. Inter convivia, cantus, solemnia gentium, inter omnia extranea, inimica, damnata, quis locus Christo, Scripturis, fidei, relinquitur? Hæc omnia, etsi mulieribus in gentili conjugio à Deo deprensis imminent, gratiâ tamen Domini perseverare jubentis propelluntur, bonaque spes superest mariti ad meliora revocandi, ubi uxorem immutatâ religione meliorem ipse fuerit expertus. Hic verò nil tale reperias, cùm apud Ethnicos nulli, nisi pessimi, Christianam ducant, ideòque ducant ut exterminent, ut abripiant, ut à fide excludant. Servas suas domini vetant foris nubere: Deus familiam suam alienas in domos transire non vetabit? Confer cum tristi infidelium nuptiarum exitu « felicitatem hujus matrimonii quod Ecclesia « conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, an- « geli renunciant, Pater ratò habet. Nam nec in terris filii « sine consensu patrum rectè et jure nubunt. Quale jugum « fidelium duorum unius spei, unius voti, unius disciplinæ, « ejusdem servitutis! Ambo fratres, ambo conservi, nulla « spiritûs carnisve discretio. Simul orant, simul volutantur, « et simul jejunia transigunt, alterutrò docentes, alterutrò

« hortantes, alterutrò sustinentes : in Ecclesià Dei pariter « utrique, pariter in convivio Dei, pariter in augustiis, in per- « secutionibus, in refrigeriis. Neuter alterum celat, neuter al- « terum vitat, neuter alteri gravis est. Liberè æger visitatur, « indigens sustentatur : eleemosynæ sine tormento, sacrificia « sine scrupulo, quotidiana diligentia sine impedimento; non « furtiva signatio, non trepida gratulatio, non muta benedic- « tio : sonant inter duos psalmi et hymni, et mutuò provocant « quis meliùs Deo cantet. Talia Christus videns et audiens « gaudet : his pacem suam mittit; ubi duo, ibi et ipse (1). »

II. His atque talibus, egregiam Ecclesiæ Septimius præstitit operam, ut ne quid pristini vigoris, inter illecebras mundi vita Christianorum perderet, neve paulatim utriusque *civitatis* differentia tolleretur. Quod si quis miretur et Nostrum, et alios ejusdem ætatis, usque ad Constantineam pacem, scriptores, fidelibus ab idololatrià dehortandis adeò immoratos, ut reliquæ morum disciplinæ pars perexigua relinqueretur, et nihil ferè apud illos inveniri quod ad curandos animi morbos insinuandamque omnium pectori virtutem pertineat, nihil quo iram impetumque animi sedare, temperantiam, justitiam, pietatem sive ergà parentes, sive ergà patriam, liberalitatem ergà egenos, exercere doceamur, primò satis injustè dolet eos fuisse tunc temporis Christianos quibus nihil talibus opus esset exhortationibus; dein non cogitat res ipsas ad informandos mores multò plus posse quàm omnem orationem, nec Evangelii discipulis, inter persecutionum, aut sævientium æstus, aut recentium memoriam, aut imminentium pericula degentibus, longos, ut rectè viverent, opus fuisse sermones. Pauca igitur tunc temporis satis fuere, ne virtus, in majoribus exercita, deficeret in minimis, neve, inter amphitheatri clamores, fides obdormisceret. Sed postquàm, partà victorià, securam pacem morum immutatio secuta est, cœpitque solvi pristinæ illud disciplinæ frenum, quà christianus exercitus in acie et prælio viguerat,

(1) Ad Uxorem, II, § 8.

tunc, ne omnia pessum irent, *clamare, nec cessare* necesse fuit, ut, inter vitæ delicias, venturi ævi judicia vel invitorum oculis obversarentur, utque Christiani, etiam opibus diffluentes, spiritu tamen pauperes manerent, et mundo, *tanquam non utentes*, uterentur. Ergò, numine auxilia pro cujusque ætatis periculis sumministrante, nec secundæ fortunæ venenis sua defuerunt antidota, tulitque quarta post Christum ætas ingentem facundorum virorum segetem, quoram ea laus, illud officium fuit, summâ auctoritate ingruenti corruptioni obsistere, quidquid Evangelium de moribus aut præcipit, aut suadet, verbis sententiisque ità illustrare ut se legis ignorantem nemo profiteri auderet.

Verùm, quum tanta sit humana infirmitas, ut multi vel inter summa belli discrimina, pacis libidinibus nugisque indulgeant, profuit aliquandò, in ipsâ acie, fidelibus ad supremum fidei experimentum, effundendumque pro veritate sanguinem jam jamque vocandis, in mentem revocari humiliora vitæ communis officia : sic Cyprianum *de eleemosynâ, de zelo et livore,* ad suos scribentem legimus : sic Noster *orationis, patientiæ* etc. merita extollere, leges conscribere non duxit supervacuum.

Liber *de Oratione* totus ferè παραφραστικός. Quamquàm auctor pravas quasdam consuetudines obiter notat, quæ in orandi modum tunc temporis irrepserant, illud tamen præcipuè intendit uberrimam latentium sensuum proferre copiam, quos tradita à Christo Deum alloquendi formula continet : « Brevitas enim ista magnæ ac beatæ interpretationis substantiâ fulta est : quantùmque substringitur verbis, tantùm diffluit sensibus. Neque enim propria tantùm orationis officia complexa est, venerationem Dei aut hominis petitionem, sed omnem penè sermonem, omnem rationem disciplinæ, ut reverâ in Oratione breviarium totius Evangelii comprehendatur (1). » Haud mediocris igitur pretii libellus iste à christianarum antiquitatum studiosis habetur, ut qui primus

(1) De Orat., § 1.

in latinis litteris scribendi genus posteà usitatissimum quasi inauguret. Nullum enim ferè inter subsecutos Patres, omniumque ætatum usque ad nos doctores invenias, qui in elucidandis Scripturis expromendisque reconditioribus ejus sensibus, pro virili parte non elaboraverit. In quo, etsi nonnumquam (ut fit apud commentatores) nimiâ subtilitate peccatum est, dùm singulæ syllabæ ponderantur, atque in singulis versiculis *allegoricus, tropologicus, mysticus* sensus exquiritur, tamen Chrysostomi *Homilias*, Augustini *in Psalmos tractatus*, Bonaventuræ *Meditationes vitæ Christi*, Bossuetii *de Evangelio Meditationes*, quis neget nunc altissimam de rebus divinis continere doctrinam, nunc utilissima ad benè vivendum præcepta omnibus offerre?

Tu ergò non sine reverentiâ ad illum accedas rivulum, undè tanta sacræ eloquentiæ ad nos flumina manarunt. Neque legentis diligentiam oblectatio fructusque non satis remunerabunt; neque, si cum illo ejusdem tituli libellum à Cypriano conscriptum, conferre libuerit, magistrum à discipulo superatum invenies. Simplex est, et lucidus, et supervacui verborum ornatûs expers; omnia apostolum, nulla rhetorem redolent. Audi, ne judicium indictâ causâ feras, quibus verbis tertiam dominicæ orationis petitionem explanet: « *Fiat voluntas tua* « *in cœlis et in terrâ*, non quòd aliquis obsistat, quominùs « voluntas Dei fiat, et ei successum voluntatis suæ oremus, « sed in omnibus petimus fieri voluntatem ejus. Ex interpre- « tatione enim figuratâ carnis et spiritûs, nos sumus cœlum « et terra. Quamquàm, etsi simpliciter intelligatur, idem ta- « men est sensus petitionis, ut in nobis fiat voluntas Dei in « terris, ut possit scilicet fieri et in cœlis. Quid autem vult « Deus, quàm incedere nos secundùm suam disciplinam? Pe- « timus ergò, substantiam et facultatem voluntatis suæ sum- « ministret nobis, ut salvi simus, et in cœlis, et in terris, quia « summa est voluntatis ejus, salus eorum quos adoptavit. Est « et illa Dei voluntas quam Dominus administravit prædicando,

« operando, sustinendo. Sic enim ipse pronunciavit, non « suam, sed Patris facere se voluntatem. Sine dubio quæ fa-« ciebat, ea erant voluntas Patris, ad quæ nunc nos velut ad « exemplaria provocamur, ut et prædicemus, et operemur, « et sustineamus ad mortem usque. Quæ ut implere possi-« mus, opus est Dei voluntate. Item, dicentes, *fiat voluntas tua,* « vel eo nobis benè optamus, quòd nihil mali sit in Dei volun-« tate, etiam si quid pro meritis cujusque secùs irrogatur. « Jam hoc dicto ad sufferentiam nosmetipsos præmonemus. « Dominus quoque, cùm, sub instantiam passionis, infirmi-« tatem carnis demonstrare jam in suâ carne voluisset : *Pa-« ter,* inquit, *transfer poculum istud.* Et recordatus : *nisi quòd « mea non, sed tua fiat voluntas.* Ipse erat voluntas et potestas « patris, et tamen, ad demonstrationem sufferentiæ debitæ, « voluntati se patris tradidit (1). »

Libro *de patientiâ* paulò diutiùs immorari non inutile fuerit ut ostendamus qualem formam materiæ, cùm ab omnibus philosophis, tùm studiosissimè a Stoïcis, pertractatæ, christianus opifex induerit. Nemo enim nescit τῷ ἀνέχου totam ferè Porticûs disciplinam comprehendi, principesque hujus sectæ, nullâ in re magis quàm in tolerando dolore, fortunæque ictibus fortiter excipiendis, sese exercuisse. Extant toti Senecæ libri, quos *de patientiâ* scriptos optimè dicas, in quibus nihil, quod quidem ethnica præbeat philosophia, videtur omissum. Ex his doctrinam philosophicæ patientiæ hauriemus cum christianâ patientiâ comparandæ.

Equidem Annæum in multis Septimio præstare non negaverim. Nam, quùm uterque *rhetoricetur,* longè deteriore hic quàm ille rhetoricâ utitur. Nil Senecæ vitiis dulcius, qui, cùm ab illâ, quam in Tullio miramur, gravitate, simplicitateque dicendi absit, omnibus tamen sermonis diffluit elegantiis, atque ità legentis oblectat animum, ut judicandi tollat arbitrium.

(1) De Orat., § 5.

Igitur (etsi ejus ingenium animos potius quibusdam quasi scintillis præstringit, quam perpetuâ claritate illuminat, etsi, quod dapes solent exquisitiores, comptior ejus et delicatior oratio ipsâ assiduitate parit fastidium, ut qui una aut alterâ Annæi epistolâ planè captus est, decimam paulò longiorem fateatur, quinquaginta uno tenore recitatas audire, pro cruciatu habeat) tamen, si singulas per se sententias æstimes, nil aptiùs concinniùsque dictum invenies, nihil quod feliciùs memoria arripiat et servet, nil quod librorum auctoribus aptiores ad excitandam languentis animi attentionem locos præbeat. Tristior Septimius, et quasi consultò obscurus, raròque horum expers vitiorum quæ suà illi ætas, sua patria, suum indiderat ingenium. Igitur in hoc libro cùm multa quæ jure reprehendas continentur, tum illud præcipuè quòd malam rhetorum quorumdam consuetudinem secutus est, qui, hominem laudaturi, non satis se facturos credunt nisi ille, unus fortasse e multis, totâ tamen antiquitate facilè melior, omnibus quoque præstans æqualibus, numquam a posteris vincendus, apud illos audiat : iidemque, neminem vituperare aggrediuntur, quem non perditissimis perditiorem, deteriorem deterrimis statim fingant. Nostro enim parum fuit patientiam proprio titulo laudasse, impatientiæ quotquot ad illum verè pertinent pestes objicere. Patientiam omnium virtutum fontem, impatientiam omnium radicem delictorum disputat : diabolum per impatientiam humanò generi felicitatem invidisse, mulierem, *spiritu impatientiâ infecto afflatam*, seque et virum et totam progeniem perdidisse, *malum* (ut omnia uno verbo comprehendantur) esse *boni inmpatientiam. Nemo enim impudicus, non impatiens pudicitiæ, et improbus probitatis, et impius pietatis, et inquietus quietis* (1). Declamare atque venalem orare causam videtur Septimius, non nudam simplicemque veritatem exponere ; nil enim prohibet eadem mutato nomine de quovis aliò vitio prædicari ; neque omnibus vitiis, per inter-

(1) De Patientiâ, § 5.

pretationum subtilitates, ad unum reductis, cæterorum notitiam aut curationem magnoperè adjuvari crediderim.

Verùm, si, dicendi disputandique ratione omissâ, res ipsas spectemus, tanto Septimius a Senecâ differt intervallo, quanto a cæca Stoïcorum ἀνάγκῃ, Christianorum Providentia.

Si quem ægritudo torqueat corporis, si rei familiaris jactura in egestatem ex opulentiâ dejecerit, si liberis, parentibus, amicis, orbatus, multò majores animo conceperit dolores, qualem Annæus, ad consolandum vocatus, de philosophiæ thesauris medelam offeret? « Unum » docebit esse « remedium malorum ingentium, pati, et suis necessitatibus obsequi (1). » Egregium certè solatium, dignumque quod irritamentum desperationis potius appelletur. Nil agis, miselle, cùm jam dolorum ponderi impar, aliquem Deum adesse precaris qui, aut præsens angoris levamentum offerat, aut certè bonâ spe præluceat in posterum, venturam aliquandò diem quâ gaudia fletibus mutentur. Nil agis inquam : « fata enim nos ducunt : causa pendet ex causâ ;... ideò fortiter omne ferendum est... Olim constitutum est quid gaudeas, quid fleas, et, quamvis magnâ videatur varietate singulorum vita distingui, summa in unum venit : accepimus peritura perituri. Quid querimur? ad hoc parati sumus (2). » Illud tamen fuerit jucundum, « cogitare te cum universo rapi. Quidquid est quod nos sic vivere jussit, sic mori ; eadem necessitate et Deos obligat (3). » O ! benevoli indicium animi, vicini cruciatibus ità delectari, ut, illos contemplans, tuos ferè obliviscaris ! Pergit Stoïcus suo more ab oculis dolentium lacrymas abstergere : Absumptos maturis funeribus natos quid flere juvat, o mater? « Si nullis planctibus defuncta revocantur, si sors immota et in æternùm fixa nullâ miseriâ mutatur, et mors tenet quidquid abstulit, desinat dolor

(1) Sen. de Irâ, l. IV, § 16.
(2) Sen. de Provid., § 5.
(3) Sen. de Provid., § 5.

« qui perit (1). » Nescio quid ad hæc parens : ego verò tam dura, consolandi specie, oblata audiens, parùm absum quin indigner. Philosophum enim videor audire hæc lenimina misero admoventem, cujus collo jam lethalis adnectitur funis : « lætare, amice, atque bono esto animo : omnes aditus armatis septos, supplicii machinam optimè confectam intuere, « ut neque effugii via pandatur, neque rumpatur funis : noli « timere nequis expectatum tibi præripiat supplicium. Præ- « tereà multorum eadem quæ tua conditio est. » Magnas sanè infelix hujus modi consolatorine dicam, an irrisori, gratias habebit !

Nec minùs mortalium conditioni illudit, cùm « opinionem « esse quæ nos cruciat » asserit, et « tanti quod cumque esse « malum quanti illud taxavimus. In nostrâ postestate reme- « dium habemus; nos metipsi fallamus (2). » Adjicit homo acutus plures sui fallendi artes : « Si quos amisimus, judi- « cemus abesse : non enim peregrinantibus illis doleba- « mus (3). » Optimè sanè de illâ quam induximus matre meritus est. Meliùs mereretur, si potentes herbas magicave carmina doceret, perquæ foveatur ille amicus error. Qamquam Thessalas quoque, pro viribus, imitatur artes, animumque se decipiendi cupidum blandis adjuvat mendaciis : Natum amisisti, persuade tibi eò profectum ubi æternâ felicitate fruatur : « Integer ille, nihilque in terris relinquens aufugit, et totus « excessit : paulùmque suprà nos commoratus, dùm expur- « gatur, et inhærentia vitia situmque omnis mortalis ævi « excutit, deinde ad excelsa sublatus, inter felices currit ani- « mas, excipitque illum cætus sacer, Scipiones Catonesque, « utique contemptores vitæ, et mortis beneficio liberi. Parens « tuus, Marcia, illic nepotem suum, quamquam illic omnibus « omne cognatum est, applicat sibi, novâ luce gaudentem, et

(1) Sen. consol. ad Marc., § 6.
(2) Sen. *id.*, § 19.
(3) *Id. ib.*

« vicinorum siderum meatus docet (1). » Hæc somnietur dolor levamenti, quale cumque sit, avidus : nam si vera quæris, « mors nec malum, nec bonum est : omnium dolorum et so« lutio est et finis : ultrà quam mala nostra non exeunt, quæ « nos in illam tranquillitatem, in quâ, antequam nasceremur, « jacuimus, reponit... Quod enim ipsum nihil est, et omnia « in nihilum redigit, nulli nos fortunæ tradit, nec potest esse « miser qui nullus est (2); » ergò nec felix. — Si adversis rebus laboras, finge Deum tibi consuluisse dum aspera immittit : « Avida est periculi virtus, et quò tendat, non quid « passura sit cogitat, quoniam et quod passura est, gloriæ « pars est... Gubernator in tempestate, miles in acie intelli« guntur... Miser est qui numquam fuit miser, et transiit « sine adversario vitam... » Grandia sane magnificaque verba, inania tamen, ut illa ipsa, quam prædicant, gloria. Quæ enim decertandi utilitas, si nihil est ad quod decertando perveniatur? Si maris enavigandi spem removeas, quis pericula navigationis sanus obeat? quisve ità deliret ut, bellum gerens, non paci et decoræ et dulci studeat? Atqui nos, Stoïco si credas, fluctus in medio ponto mergent, bellaque cum cupidinibus acerrimi gesta τὸ μηδὲν coronabit. Aliæ tamen restant decipiendorum animarum artes. Si procellis rerum jactatus, atque nil nisi tristia expertus, quid sibi velint illa quasi infesti numinis tela quæras, præstò erit Stoïcus, grandiloquas canens ineptias, atque hæc omnia quibus premeris de sapientis felicitate ne tantillum quidem detrahere docens, virtutemque ad *beatè vivendum se ipsâ esse contentam*, etiamsi quis maximis corporis animique doloribus excrucietur. Quum autem se natura humana diù ludibrio haberi non patiatur, nihilque effici clamet si, *mali* nomine sublato, ipsa mali natura in præsentis ævi calamitatibus maneat, unum fictæ illi felicitati perfugium relinquitur, mors, ab illo beato suæ beatitudinis impatiente

(1) Consol. ad Marciam, § 25.
(2) *Ib.*, § 19.

ultrò sibi inferenda : utque Stoïca consolatio nil nisi desperationem hominum pectori infert, ita Stoïca patientia in summum impatientiæ scelus desinit : « Deus ante omnia cavit ne « quis nos teneret invitos; patet exitus : si pugnare non vultis, « licet fugere. Ideòque ex omnibus rebus quas esse vobis ne« cessarias volui, nihil feci facilius quàm mori. Attendite « modò, et videbitis quàm brevis ad libertatem et quàm ex« pedita ducat via (1). »

Longè diversâ oratione ad certamina patientiæ fortiter ineunda Septimius hortatur. Quippe imperatorem cui pareatur, et veras obsequendi causas, et exemplar imitatione dignissimum, et grande victoriæ præmium, quæ omnia Stoïcæ disciplinæ deerant, christianis militibus proponit. Quidni? cùm tota patientiæ disciplina à Deo pendeat quem Stoïci re, si non verbis, omninò esse inficiantur. Deus enim à nobis obsequendi patiendique debitum exigit : « Nos non de hominibus modò « servitute subnixis, vel quolibet alio jure debitoribus obsequii, « verùm etiam de pecudibus, etiam de bestiis obedientiam « exprimimus, intelligentes usibus nostris à Domino provisas « traditasque. Meliora ergò nobis erunt in obsequii disciplinâ, « quæ nobis Deus subdit? Agnoscunt denique quæ obediunt : « nos cui soli subditi sumus, Domino scilicet, auscultare du« bitamus? At quàm injustum est, quàm etiam ingratum, « quod per alterius indulgentiam de aliis consequaris, idem « illi per quem consequeris de temetipso non rependere (2)! » — Deus homini maxima patientiæ præbet documenta : « Nobis « exercendæ patientiæ auctoritatem non affectatio humana « caninæ æquanimitatis stupore formata, sed vivæ ac cœlestis « disciplinæ divina dispositio delegat, Deum ipsum ostendens « patientiæ exemplum, qui rorem lucis hujus super justos et « injustos æqualiter spargit, qui... totius naturæ tributa dig« nis simul et indignis patitur occurrere, sustinens ingratissi-

(1) Sen. de Provid., § 6.
(2) Tert. de Pat.

« mas nationes, ludibria artium et opera manuum suarum
« adorantes, nomen cum familiâ ipsius persequentes... ut sua
« sibi patientia detrahat: plures enim Dominum idcircò non
« credunt, quia sæculo iratum tamdiù nesciunt... Quid illa
« patientia, quæ inter homines palàm in terris quodammodò
« manu apprehensa est? Nasci se Deus in utero patitur ma-
« tris, et natus adolescere sustinet, et adultus non gestit
« àgnosci, sed contumeliosus insuper sibi est, et à servo suo
« tinguitur... Nullum volentem sibi adhærere non suscepit:
« nullius mensam tectumve despexit,.... non peccatores, non
« publicanos aspernatus est. Ingratos curavit, insidiatoribus
« cessit. Parùm hoc, si non etiam proditorem suum secum
« habuit... Cùm verò traditur, cùm adducitur, ut pecus ad
« victimam; sic enim non magis aperit os quàm agnus, sub
« tondentis potestate... Taceo quòd figitur: in hoc enim ve-
« nerat. Numquid tamen subeundæ morti etiam contumeliis
« opus fuerat? Sed saginari voluptate patientiæ discessurus
« volebat (1). » — Deus veras patiendi causas suggerit, Deus
præbet unde gravissimum jugum non tolerabile modò, sed
etiam jucundum efficiatur; nonne enim omne onus amanti
leve videtur? « Si à Domino quædam credamus incuti, cui
« magis quàm Domino patientiam præbeamus? rependamus
« illi quam pro nobis dependit (2). » Cùmque Christum Deum
suus ergà nos amor patiendi effecerit appetentissimum, pa-
tientia nostrum quoque in illum amorem testetur: « Dilectio
« summum fidei sacramentum, christiani nominis thesaurus,
« cujus nisi patientiæ disciplinis eruditur? Dilectio, inquit
« Apostolus, omnia sustinet, omnia tolerat, utique quia pa-
« tiens. Meritò ergò numquam excidet: nam cætera evacua-
« buntur, consummabuntur. Exhauriuntur linguæ, scientiæ,
« prophetiæ; permanent fides, spes, dilectio: fides quam
« Christi patientia induxit: spes quam hominis patientia ex-

(1) De Pat., § 3.
(2) De Pat., § 11.

« pectat: dilectio quam, Deo magistro, patientia comitatur(1).» Si times ne amor amantem decipiat, proculque ab illâ beatâ vitâ detineat quam toto pectore vel inviti appetimus, Deus « gratulari et gaudere nos docet, dignatione divinæ castiga- « tionis. Ego, inquit, quos diligo castigo. O servum illum « beatum, cujus emendationi Deus instat! cui dignatur irasci! « quem admonendi dissimulatione non decipit! Quâquâ ex « parte aut erroribus nostris, aut mali insidiis, aut admoni- « tionibus Domini intervenit usus patientiæ, magna merces, « felicitas scilicet. Quos enim felices Dominus nisi patientes « nuncupavit, dicendo: *Beati pauperes spiritu, illorum est enim* « *regnum cœlorum* (2)? » Ad illud propositum nobis certamen per patientiam currentes, nullos itineris recusabimus labores: quippe Deus futuram victori pollicetur immortalitatem, et auxilia strenuè dimicanti ineffabileque jam nunc subministrat gaudium. Idem, si totum vitæ præsentis saporem amissio nostrorum abstulerit, conceptum temperat dolorem, dum gratulandum iis docet qui profecti sunt, non miserendum. « Non est lugendus qui antecedit, sed planè desiderandus. « Id quoque desiderium patientiâ temperandum... Namque in « his rebus impatientia et spei nostræ malè ominatur, et fidem « prævaricatur. Et Christum lædimus, cùm evocatos quosque « ab illo, quasi miserandos, non æquanimiter accipimus (3). »

Patientiam stoïca superbia mentitur, christiana caritas germinat.

(1) De Pat., § 12.
(2) De Pat., § 11.
(3) De Pat., § 9.

CAPUT IV.

SEPTIMIUS PHILOSOPHUS.

Nemo, Septimium jam cernens philosophico pallio prodire indutum, ex professo philosophatum fuisse arbitretur, novamque, qualem Plato aut Aristoteles, instituisse disciplinam: non Deus hæc otia christianis scriptoribus fecerat, ut ejus modi studiis, animi causâ, indulgerent. Si nullæ hæreses integritatem fidei temerassent, Noster totus in erigendis fidelium animis, totus in confirmandâ morum sanctitate, versaretur. Nunc, quoniam plerique hæreticorum, errores quibus evangelicam adulterabant doctrinam à philosophis mutuati, veritatis defensores, ut *rhetoricari* (1), ità *philosophari* cogebant, in hanc quoque Septimius arenam haud invitus descendit, quippe quem ingenita quædam pugnacitas præliando quàm docendo, et depellendis nubibus veritati offusis quàm philosophiæ placitis uno tenore exponendis, aptiorem fecerat. Prætereà, quoniam quisquis de divinis humanisque rebus disputat, velit nolit philosophatur, pretium operæ forsan fuerit quid Noster in hoc genere fecerit inquirere, quo potissimùm argumentandi genere sit usus, quid de Deo, de mundi origine, de hominis naturâ senserit, dispersique quasi membra philosophi colligere.

I. Ante omnia igitur, de ipsâ philosophiâ, atque eâ mentis

(1) De Resurrect. carn., § 5.

acie quâ verum à falso secernere valemus, interrogatus, *misologi* cujusdam, ut ait Plato, personam videtur sustinere. Nemo philosophos acriùs insectatur, nemo philosophiæ societatem, christianæ disciplinæ à nonnullis oblatam, indignantiùs respuit : nemini de humanâ ratione plus licuit, quam se nihili facere apertissimè profitetur. Longum est singula referre : pauca è multis in Septimii libris seligemus :

« Quid simile philosophus, et Christianus? Græciæ discipulus, et cœli? famæ negotiator, et salutis? verborum, et factorum operator? rerum ædificator, et destructor? interpolator erroris, et integrator veritatis? furator ejus, et custos (1)?

« Philosophi in incertum miscuerunt etiam quod invenerunt certum : inventum enim solummodò Deum, non ut invenerant disputaverunt... Alii incorporalem asseverant, alii corporalem ;... alii ex atomis, alii ex numeris... Et Platonici quidem curantem rerum ; contrà Epicurei otiosum et inexercitum, et, ut ità dixerim, neminem humanis rebus (2).

« Deliquit, opinor, divina doctrina, ex Judæâ potiùs quàm ex Græciâ oriens : erravit et Christus, piscatores citiùs quàm sophistas ad præconium mittens (3). »

Optimo igitur jure, Christiani cum philosophis inimicitias gerunt : nec quidquam fidei propugnatores antiquius habere debent, quàm « purum et candidum aerem veritatis, philosophiæ nidoribus infuscatum, enubilare (4). » Ipsam habes philosophiam à Septimio culpatam, non tantùm philosophos : illa « magis dicendo persuadens, quàm docendo, formas rebus imponit, eas nunc peræquat, nunc privat, de certis incerta præjudicat,.. leges naturæ suas opiniones facit (5). » Quid enim? nonne philosophi « dialecticâ utuntur, quam miser illis

(1) Apol., § 46.
(2) *Id.*, § 47.
(3) De An., § 3.
(4) *Id.*, *ib.*
(5) *Id.*, § 2.

« instituit Aristoteles, artificem struendi et destruendi, versi-« pellem in sententiis, coactam in conjecturis, duram in ar-« gumentis, operariam contentionum, molestam etiam sibi « ipsi, omnia retractantem, ne quid omninò tractaverit (1). »

Denique, non philosophiam tantùm, sed rationem, imò commune omnium de veri falsique discrimine judicium, gravissimâ contumeliâ afficit, cùm, de morte Christi disserens, exclamat: « Prorsùs credibile est, quia ineptum est, » et: « cer-« tum est, quia impossibile est (2). »

Quamvis hæc omnia, multaque alia in eamdem sententiam Noster scripserit, tamen non sine gravissimo errore misologis adnumerandum censeo. Neque (dicam enim liberè quod sentio) quidquam horum, si notæ hominis in dicendo nimietati aliquantulum concedas, veritatis fines excedit. Quod ut eluceat, totam rem et rationibus et exemplis altiùs repetemus.

Humanam rationem intrà fines arctissimos contineri, de multis tacere, quæ tamen cognosci vel maximi nostrâ interest, imò, sic malis moribus opinionibusque depravari, ut, etiam intrà tèrminos suos contenta, de rectâ viâ sæpissimè discedat, antiquæ præsertim ætatis philosophos, totâ viâ, toto cœlo haud semel aberrasse, et, certissimis quibusque in dubium vocatis, in insanas, alium aliò, abiisse opiniones; insuper, de parte exploratæ sibi veritatis, sive metu, sive aliquam ob aliam non meliorem causam, reticuisse, Deumque (his enim Apostolus verbis utitur) *sibi cognitum non ut Deum magnificasse,* inter omnes christianos scriptores convenit. In hoc uno dissentiunt, quòd alii, aciem humanæ rationis, non hebetem tantùm, sed omninò cæcatam contendentes, nihil certi divinis in rebus ab illâ percipi posse arbitrantur; alii, lumen illud intimum et naturale non ità restinctum asserunt, ut nubila vitiorum aliquantùm depellere nequeat, et nonnulla de Deo, de moribus, firmiter tenere. Nunc, si quæras utra fuerit

(1) De Præscript. hæret., § 7.
(2) De carne Christi, § 5.

Septimii sententia, in illâ firmum immotumque invenies quam nostrorum scriptorum pars longè melior majorque semper amplexa est, eam dico, quæ, rationem sæpè quidem, sed non semper, errare confitens, inesse illi vim quamdam potiundæ veritatis defendit, per quam multa per se patentia, multaque ex his legitimâ ratiocinatione deducta in lucem proferre valeat.

Quod ità esse duplici modo ostendi potest. Si quis enim in medium afferatur, qui, strenuus notusque humanæ rationis fines suos non excedentis defensor, iisdem, quibus Septimius, verbis, vel durioribus etiam, de philosophiâ, nativisque ejus cum christianâ disciplinâ inimicitiis, locutus fuerit, apparebit ambo conciliari posse, severum de audacioribus humani ingenii ausis judicium, et æquam benevolamque, de his quæ feliciter tentare et perficere valet, sententiam. Quòd si ipse Septimius, duplicem, quâ viget ratio, potestatem, nempe, manifesta quædam de rebus divinis, sine argumentorum ambagibus, percipiendi, et indè alias remotioresque educendi veritates, constantissimè agnovit, si multa in certamina ratione prodiit armatus, multosque adversarios telis ab unâ ratione depromptis confodit, multò magis erit fatendum Septimium verbis quæ quosdam lædunt eâ mente usum esse, ut rationem non conculcaret, sed evagantem cohiberet, aut aliquam aliam subesse quæstionis enodandæ rationem, ni fortè pugnantia secum omnibus in scriptis tantum virum prædicasse malis; ad quam interpretationem, numquam, nisi desperatis omnibus aliis, confugiendum videtur.

Audi ergò quomodò utrumque conficiam.

Non unus è multis Septimio, læsæ rationis reo, exempli sui auctoritate patrocinabitur, sed qui duplici theologi philosophique laude, clarissimâ in ætate, super alios claruit, homo, ut ità dicam, rationi simillimus, ipse Bossuetius: qui si probare velimus quàm benè omnem vim rationis notam habuerit, quàmque libenter divinis in rebus adhibuerit, totus nobis liber *de Dei et suî ipsius cognitione* recitandus sit. Ille tamen,

non superstitiosus aliquis monachus, illė non mysticorum deliramentis deditus, sed mentis suæ in omnibus compos, de philosophiâ hæc locutus est: « Procul clamas, ô philosophia, « mihi lubricâ ancipitique viâ in terris incedendum: quod « esse verum, ipsemet expertus, fateor. Manum porrigis, « quæ firmet dirigatque gressus. Sed, antè omnia, explora- « tum esse velim, satisne fido me duci tradam. Quæ ergò tibi « fiducia habeatur, infelix philosophia? cujus scholæ vanis « tantùm nec umquàm terminandis contentionibus strepunt: « in quibus multa moventur, multa ambiguntur, nihil um- « quàm expeditur. Illud autem animadvertendum, quòd, ex « quo homines philosophari aggressi sunt, unum summo « studio quæsitum est, quænam sint præcipua humanæ na- « turæ officia, quis humanæ vitæ finis: in quo, si quid ab aliis « pro certo positum est, ab aliis idem ut falsum rejici vide- « mus. In hâc opinionum varietate, inducatur mihi in cœtum « philosophantium homo, quid sibi per vitam agendum sit « ambigens: eumdem in locum colligatur, si fieri possit, « quidquid umquàm hominum famâ sapientiæ clarorum exti- « tit: ecquis erit misello dubitationum finis, expectanti donec « inter omnes de aliquo conveniat? Antè frigus et calor ve- « teres deponent inimicitias, quàm philosophi de placitorum « suorum veritate inter se consentiant. Absit ergò ut me soli « humanæ rationi committam, quæ adeò varia est, et quasi « titubans, ut nemo sinè manifesto periculo se totum illi tra- « dere possit. Nec mihi, intrà me, procellosum illud vastum- « que humanarum rationum æquor intuenti, ullus tàm pla- « cidus apparet fluctus, ullique tàm semoti recessus, qui « non illustri aliquo naufragio infamentur (1). » Aliàs, idem philosophos compellans: « Hùc ades, » inquit, « qui arcàna « Dei scrutari audes; naturæ secreta coràm evolve, sive « proxima, sive longo intervallo semota malis, sive quæ sub « pedibus jacent, sive quæ capitibus immìnent. Itàne ratio

(1) Boss., Serm. de lege Dei.

« tua ubique hæret? itàne semper aut à rectâ viâ aberrat, « aut defessa humi prosternitur (1). » Denique, vis durius aliquid habere, paucioribus verbis inclusum? Bossuetii eum locum lege, in quo philosophiam *capitalem veritatis inimicam*, et *omnium errorum patronam* (2) nuncupat. I nunc, et in Septimium invehere, cæcum rationis contemptorem, modò hæc scias in eum redundare, quo non alius majorem rationi gloriam circumfudit!

Sed quid aliena testimonia invocamus? Sua Tertullianum abundè opera defendunt, in quibus rationis ille ferus conculcator quanti rationem, si non philosophiam, faciat, ostendit. Non ambiguæ voces nostram in interpretationem detorquendæ erunt: nec ullus erit interpretando locus, cùm ipse quid sentiat apertissimè profiteatur, non quasi fortuitò, aut vi veritatis victus, sed suam sententiam in libris evolvens ad id compositis, ut maximas ejus quam nos *naturalem religionem* nuncupamus veritates, *animæ testimonio* niti appareat. Jam ipsum audire præstat: « Anima, licet corporis carcere pressa, licet « falsis deis exancillata, cùm tamen resipiscit, ut ex crapulâ, « ut ex somno, ut ex aliquâ valetudine, et sanitatem suam potitur, Deum nominat.... O testimonium animæ naturaliter « christianæ (3)!... Naturâ pleraque suggeruntur, quasi de « publico sensu, quo Deus animam dotare dignatus est (4)... « Hæc testimonia animæ, quantò communia, tantò naturalia, quantò naturalia, tantò divina... Magistra natura, « anima discipula. Quidquid aut illa edocuit, aut ista « perdidicit, à Deo traditum est, magistro scilicet ipsius « magistræ... Anima, etiam circumventa ab adversario, meminit sui auctoris, et bonitatis, et decreti ejus, et exitûs « sui, et adversarii ipsius. Sed qui ejusmodi eruptiones animæ « non putavit doctrinam esse naturæ congenitam et ingenitæ

(1) Boss., Serm. de divinitate Religionis.

(2) *Id.*

(3) Apol., § 19.

(4) De Animâ, § 2.

« conscientiæ tacita commissa, dicet potiùs, diventilatis in
« vulgus opinionibus publicatarum litterarum, usum jam et
« quasi vitium corroboratum taliter sermocinandi. Certè
« prior anima quàm littera, et sermo quàm liber... et homo
« ipse quàm philosophus et poëta. Numquid ergò credendum
« est, antè litteraturam et divulgationem ejus, mutos ab ejus-
« modi pronuntiationibus homines vixisse? Nemo Deum et
« bonitatem ejus, nemo mortem, nemo inferos loqueba-
« tur (1)? »

Ergò mens humana capax Dei est, ad quem, ceu levia in auras, suâ naturâ fertur, ubi se carnis et vitiorum catenis exsolvit: imò, vel corrupta, vel caligine rerum obcæcata, tamen de antiquâ flammâ quosdam servat igniculos, qui illam ultrà certos fines desipere non sinunt. Nemo Dei, nemo honesti, nemo pœnarum culpas manentium, sine suo vitio omninò ignarus: ità communes sensus communis natura omnium pectori infixit. Ad hæc integræ naturæ testimonia omnem disputationem Noster censet revocandam, nec quidquam magis curandum, quàm ne humanorum errorum veneno divinæ illæ veritates adulterentur, quas in omnibus judices constitui oportet, si quis velit æquam de singulis quæstionibus ferre sententiam.

Habes totam Septimii de humani ingenii auctoritate doctrinam: eam de utilitate à publico illo sensu derivandâ professus est opinionem, ut prænuntiis hujus scolæ meritò annumerari possit, quæ à *communis sensûs veritatibus* fortiter occupatis et constantissimè defensis, nomen decusque nostris temporibus adepta est. — Verùm κοινὰς illas ἐννοίας hâc lege à Deo accepimus, non ut steriles nostrâ in mente maneant, sed ut argumentandi aut vivendi fiant nobis principia. Si igitur quæramus quomodò illis in disputando (quoniam hìc de vero, non de honesto, agitur) usus sit Septimius, cernetur huic potissimùm argumentandi formæ adhærens, quæ sceptico minimè placeret. Totum

(1) De testim. An., § 4.

enim humanæ cognitionis ædificium (ignoscatur nobis scholasticè loquentibus) in *contradictionis principio* nititur, per quod idem simul negari et affirmari salvâ veritate non licet. Indè est quòd quemcumque in disputando eò adduxeris ut pugnantia secum loquatur, is manifestissimè te victorem agnoscere debeat, modò de hoc fundamento rerum tibi cum illo conveniat. Verùm, si scepticum illud, οὐδὲν μᾶλλον probaveris, sublato jam veri falsique discrimine, nulla neque oppositæ opinionis confutandæ, neque tuæ confirmandæ tibi ratio supererit: nulloque posteà jure te canes victorem, quum adversarius tuus ea quæ negârat affirmaverit, negârit quæ affirmaverat: illud enim est scepticæ disciplinæ proprium, ut, omnia destruens, nihil, ne se ipsam quidem, ædificet. Nonne rideatur Kantius, principio contradictionis, ad fulciendam aliquam suam sententiam, utens, quasi ullus apud eum huic principio locus relinquatur, quod tot jam labefactavit antinomiis? Verumenimverò nihil Septimio tantoperè placet quàm sententiam suæ adversantem, aut in manifestam impingere contradictionem, aut communi cuidam confessæque veritati ità illidere, ut, vel error meritò relinquatur abjiciaturque penitùs, vel principium contradictionis, apertâ fronte violatum, contemptori suo nil humani intellectûs superesse ostendat. Hâc ratione, cùm multa alia, tùm inprimis Marcionis duo numina profligat: neque ingratum erit Septimium cernere, eâdem illâ dialecticâ, veritati tuendæ, utentem, quam, ad pravos usus detortam, tam vehementer carpserat: « Deus, si non unus est, « non est, quia digniùs credimus non esse quodcùmque non « ità fuerit ut esse debebat... Deum autem id definio, quod et « omnium conscientia agnoscit, summum esse magnum in « æternitate constitutum.... Cùm de isto conveniat apud « omnes, quæ erit jam conditio ipsius summi magni? « nempè ut nihil illi adæquetur... Ergò unicum sit ne« cesse est quod fuerit summum magnum, par non ha« bendo; ne non sit summum magnum..... Non aliter « Deus, nisi summum magnum: nec aliter summum mag-

« num nisi parem non habens, nec aliter parem non ha-
« bens, nisi unicus fuerit.... (1) Ineluctabilis iste complexus
« in hoc sententiam constringit, aut negandum Deum esse
« summum magnum, quod nemo patietur sapiens, aut nulli
« alii communicandum (2). » Sed fortasse duos deos inducere licebit, modò non sint inter se pares? Minimè : « id enim
« summum magnum quod Deo adscribimus ex substantiæ
« lege, non ex nominis sorte, contendimus ex pari esse debere
« in duobus qui eâ substantiâ constant quâ Deus dicitur; quia
« in quantum dii vocantur, id est summa magna, substantiæ
« scilicet meritò innatæ et æternæ, ac per hoc magnæ et
« summæ, in tantum non possit summum magnum minus et
« deterius alio summo magno haberi. Si summi magni felici-
« tas, et sublimitas, et integritas stabit in deo Marcionis,
« æquè et in nostro : si non in nostro, æquè nec in deo Mar-
« cionis. Ergò nec paria erunt duo summa magna, quia pro-
« hibet disposita jam regula summi magni, comparationem
« non sustinentis; nec disparia, quia et alia summi magni re-
« gula occurrit, diminutionem non admittens. Hæsisti, Mar-
« cion, in medio ponti tui æstu : utrinque te fluctus veritatis
« involvunt : nec pares nec dispares deos sistere potes (3). »

Liceat etiam alterum proferre exemplum, quò plenius intelligatur ea quâ Noster usus est, ratio philosophandi. Extat ejus liber adversùs Hermogenem, æternæ materiæ defensorem, conscriptus : in quo, non tàm cum isto tantuli nominis, quàm cum totâ veterum philosophiâ manus confert. Quippe communis hic fuit omnium apud illos sectarum morbus, quid inter Deum et mundum intersit non intellexisse, et alterius in alterum transtulisse proprietates. Postquàm igitur, sub operis initio, causam ad communes sensus pro more revocavit, atque ostendit materiam, si infecta æternaque fuerit, in divinitatis

(1) Advers. Marc., I, § 3.
(2) *Id.*, *ib.*, § 4.
(3) Advers. Marc., § 7.

extemplò consortium admitti, quod ratio non patitur, Deum non esse, nisi unicus sit, clamans, memorat hoc doctrinæ portentum ideò inductum esse, ut mali origo à Deo in ipsam materiam transferretur, totamque rem, quùm pueriliter fingi, tùm ne efficere quidem id quod vult : « Materiam tene semel « æternam, et ideò indemutabilis et incorruptibilis naturæ « credendam (ex ipsius sententià Hermogenis, quam opponit « cum Deum negat ex semetipso facere potuisse, quia non « demutetur quod sit æternum, amissurum scilicet quod fue- « rat, dum fit ex demutatione quod non erat). Hâc et ego « definitione illum meritò repercutiam ; materiam æquè repre- « hendo, cum ex illâ malâ, pessimâ etiam, bona atque op- « tima à Deo fiunt.... Demutationem igitur admisit materia, « et, si ità est, statum æternitatis amisit... Sed æternitas « amitti non potest, quia, nisi amitti non possit, æternitas « non est. Ergò nec demutationem potuit admisisse. Et quæ- « retur quomodò ex eâ bona facta sint, quæ ex demutatione « nullo modo facta sunt ? Undè in malâ ac pessimâ boni « atque optimi semen ? Certè, nec bona arbor fructus ma- « los edit, quia nec Deus nisi bonus ; nec mala arbor bonos, « quia nec materia est, nisi pessima (1). »

Igitur (ut quod ex his exemplis sequitur paucis colligamus), cum duæ sint Christianis scriptoribus veritatis defendendæ rationes, altera, ex auctoritate sumpta, altera ex ipsâ vi argumentorum, misologique eâ mente esse debeant, ut hanc penitùs respuentes, illam unam amplexentur, illorumne numero Septimium inscribemus, qui, de omnibus ad divina humanaque pertinentibus disputans, antè per rationem quidquid veritatis obtineri potest, confirmat, quàm aut Ecclesiæ, aut sacrorum librorum patrocinio utatur ; non quòd divinum parvi pendat sermonem, sed quoniam ea est via viro sapiente dignissima, ut, mentis nostræ facultatibus, quantùm se extendunt, usi, nos demùm, cùm suæ illam vires deficiunt, majori duci, longiùs processuri, tradamus ?

(1) Advers. Hermog., § 12-13.

Restat ut quæramus quomodò hæc inter se congruant, idemque rationem nunc exsecrari potuerit, nunc religiosos in usus vertere: nec operosè solvetur ea quæ videtur existere repugnantia, si duo philosophandi genera sedulò inter se discernamus. Quidam, viribus suis confisi, et omne jugum aspernantes, sibi jus vindicant quidquid visum fuerit asserendi, nullâ neque omnium consensûs, neque divinorum, si qua sint, oraculorum habitâ ratione. Cernis quantam ibi caliginem superbia mentibus humanis offundat, cùm quisque plus sibi quàm omnibus, et homini quàm Deo fidere assuescat. Ingens quoque datur erroribus spatium, cùm neque, si quis circà principia peccaverit, ulla supersit auctoritas quæ illum ad vera reducat, neque philosophus, ubi se ad ea devenire senserit quibus vel generis humani fides, vel divina doctrina repugnet, ità sit affectus, ut, à consequentiis abhorrens, ipsa relinquat principia. Hanc viam secuti Thales, et qui post illum ab Ioniâ nomen suæ disciplinæ mutuati sunt, nullum Deo reliquerunt in orbe locum; Democritus, et pòst hunc Epicurus, illum mundi ornatum casu ortum esse commenti sunt. Contrà pauci, ingenitæ humanis mentibus debilitatis conscii, quòd et malis consuetudinibus corrumpitur, et superbiâ tumescit, et hebescit pigritiâ, nihil illi subsidii abjiciendum rati sunt; non enim hunc esse philosophiæ scopum, ut naturæ vocem inhibeat, sed ut earum notionum quæ omnium animis à natalibus insunt, plenior fiat intelligentia, et longiùs, si fieri possit, in viâ veritatis procedatur. Præstereà, cùm lumen illud naturæ, etiam philosophiæ ignibus adjutum, tenebras, multis magnisque quæstionibus circumfusas, depellere non valeat, eo sunt animo, ut divinæ lucis auxilium, aut ardenter requirant exposcantque, aut inventum toto pectore amplexentur. Ità Socrates proprium naturæ sensum *quo Deus animam dotare dignatus est*, sermonum suorum exordium aut finem sumere solebat; et Plato, multa occurrere confessus, quæ nemo, nisi Deus, elucidare valeret, intereà quidquid à veteribus traditum fuerat sedulò rimabatur, eâ spe ut, de antiquo

illo numinis cum homine contubernio, plura quàm aliàs ibi vestigia superessent.

Nunc, si quæras utrum philosophandi genus apud veteres obtinuerit, plerique quæ sibi placerent maluerunt, quàm quæ aut humano generi essent probata, aut divinâ voce declarata. Sic ille ipse Plato animas fingit æternas; six Aristoteles Deum negat rebus providere, cùm utrique intentiùs auscultanti, vox naturæ clamasset, nil æternum esse nisi Deum unum, et tanti operis molem consilio intelligentiâque regi alicujus. Multò etiam contumaciùs divini sermonis auctoritatem philosophi passi sunt: nec eam dico quæ se divinam mentiebatur, à poetis, non à cœlo ducens originem. Quis enim philosophos jure criminetur, quòd liberiùs de ligneis diis sententiam dixerint? Quis potiùs non optaverit summæ auctoritatis viros fortiore animo in nefarias vulgi superstitiones invectos fuisse, et quascumque de Deo habebant notitias liberaliùs de scholis in civitates effudisse? Quem non lædat Socrates, extremo spiritu gallum Æsculapio spondens, Xenophonque in Apologiâ summam magistri in patrias religiones laudans pietatem? Sed integram dico germanèque divinam veritatem, quæ, vi suâ, præter humanam fidem, totum perfregit imperii robur, nec ullam posteà ætatem existere passa est, quam non radiis suis, etiam invitam, illuminaverit. Si conjiciendum daretur utram partem, commisso inter novam fidem et antiquas superstitiones prælio, philosophi amplexuri essent, nemini dubium foret, toti Socraticæ genti hanc probatum iri disciplinam, quæ cum ipsis in verâ virtute laudandâ consentiret, Platonicosque præsertim divinam vocem fuisse agnituros, cujus audiendæ tanto magister amore flagraverat. Quod longè aliter evenit: nam quæ parùm fortiter quid de Olympi fabulis sentiret, dissimulaverat, eadem nunc philosophia Christi discipulos acerrimis odiis persecuta est, nimirùm ægrè ferens totam ab illis prædicari veritatem, cujus minuta tantùm fragmenta insusurrare paucorum ausa fuerat auribus. Tu ità fuisse miraris? ego verò non miror, cui sit exploratum quantoperè philosopho, *gloriæ*

animali (1), secundus gradus displiceat, quàmque indignanter sibi vel minimam partem ejus quâ utitur quidlibet sentiendi libertatis detrahi patiatur; quantò magis magnam!

Ex his colligi potest veram philosophiam, quæ à B. Anselmo *fides intellectum quærens*, optimo nomine dicta est (nec minùs aptè *intellectus quærens fidem*, sæpè nuncupari potest), usque ad Septimii tempora, aut ignotam fuisse, aut jacuisse neglectam. Quòd si Bossuetio, post tot legitimæ philosophiæ sæcula, postquàm Anselmus, et Thomas Aquinas in Ecclesiâ claruerunt, philosophiam tamen, his quæ memoravimus verbis, carpere licuit, cur Septimius vituperetur, quòd de adulterâ sui temporis sapientiâ paulò liberiùs sententiam suam declaraverit?

Si aliquid locuti sumus, non civitatem illam amisit Septimius quam nulli adimi fas est, nisi quis, rationem exsecrando, ipse sibi aquâ et igne in philosophorum republicâ interdixerit : nec frustrà de Deo, deque humanâ naturâ (quandò hæc philosophiam ferè totam continent) interrogabitur.

II. *De Deo.* — Deus naturaliter notus est, non tamen eo modo quo visibilia, neque ità ut ad eum, nullâ aliâ mediante notitiâ, ratio accedere valeat, vel aliquam spem divinæ essentiæ penitùs perspiciendæ habeamus. Quippe ea est summi magni natura, ut, neque nesciri omninò, neque plenè intelligi possit. Igitur, quum nos ingenitus quidam instinctus ad illam vitæ nostræ originem vel invitos retrahat, non ideò per se statim notum dicemus « qui totam molem istam, cum « omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, « verbo quo jussit, ratione quâ disposuit, virtute quâ potuit, « de nihilo expressit, in ornamentum majestatis suæ (2). » Si quæras undè ad illum pateat accessus, « à primordio re« rum conditor earum, cum ipsis pariter compertus est, ip-

(1) Tert., de An., § 1.
(2) Apol., § 17.

« sis ad hoc prolatis, ut Deus cognosceretur. Nec enim si « aliquantò posterior Moses videtur in templo litterarum sua- « rum Deum mundi dedicasse, idcircò à Pentateucho natales « agnitionis supputabuntur, cùm totus Mosis stylus notitiam « Creatoris non instituat, sed à primordio enarret recensen- « dam (1). » Nihil in orbe fidem ejus non facit : « Ex ipsius « operibus tot ac talibus, quibus continemur, quibus oblecta- « mur, etiam quibus terremur, ex animæ ipsius testimonio « comprobatur, quæ à cœlo et Deo descendens, se adeò non « ignorat, ut auctorem et arbitrum et statum suum nôrit, « et, nihil adhùc de Deo discens, Deum nominet... (2). Ha- « bet ergò Deus testimonia totum hoc quod sumus et in quo « sumus ; et hæc est summa delicti, nolentium recognoscere « quem ignorare non possunt (3). » Agnoscis legitimam illam quâ Bossuetius Feneloniusque tam splendidè usi sunt philosophandi rationem, quæ à creaturis ità proficisci jubet, ut illis non immoreris, sed ipsæ te ad suum auctorem, et ad totius quâ relucent pulchritudinis fontem deducant. Agnoscis veram dialecticam, quæ Platoni tribuerat quidquid *perennis* apud illum *philosophiæ* legitur. Sed quid Platonem loquor? Septimio non placeret, quòd Academicum Christianismum induxisset laudari : Pauli tantùm et Mosis meminerat, docentium « Dei in- « visibilia per ea quæ creata sunt visibilia conspici, » et « hominem ad Dei similitudinem esse conditum, » undè spes haud absurda exoritur, hanc imaginem intentè intuendo, ad ipsum exemplar posse perveniri.

Attamen, si quis propter prosperum hujus incœpti eventum, nimiâ fiduciâ efferatur, monebit eum Septimius ne se intima divinæ majestatis secreta scrutari posse arbitretur : quod duplici de causâ fieri nullo modo potest ; primùm quòd, hisce clausi tenebris, Deum non in se, sed *in ænigmate et per*

(1) Adv., Marc, I, § 10.
(2) Apol., § 17.
(3) *Id. ib.*

speculum videmus, deindè quòd « negatur substantia nomi- « nis, id est magnitudinis quæ Deus dicitur, si non tanta « agnoscitur, quantam si homo omnifariàm nosse potuisset, « magnitudo non esset. Quod enim videri communiter, quod « comprehendi, quod æstimari potest, minus est et oculis « quibus occupatur, et sensibus quibus invenitur. Quod verò « immensum est, sibi soli notum est : ità eum vis magnitu- « dinis et notum hominibus objicit et ignotum (1). » Hæc si mente teneas, multa quæ inter se pugnare videntur, conciliabis ; nec miraberis, ubi summa illa magnitudo agatur, hebescere aciem humani ingenii, multaque longè aliter reverâ existere atque à nobis æstimantur : « Ità Deus invisibilis est, etsi « videatur ; incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsente- « tur ; ità tùm maximè magnus quùm homini pusillus, et tùm « maximè optimus, quùm homini non bonus, et tùm maximè « unus, quùm homini duo vel plures (2). »

Sequitur ut, si quid divinæ essentiæ humanis exprimatur vocibus, singula verba quibus utimur non eo quem apud nos habent sensu intelligenda sint, sed in sublimiorem quamdam erigenda significationem, ne fortè, rerum inverso ordine, *in Deo potiùs humana constituas, quàm in homine divina* (3). Hanc si constanter differentiam teneas, multa jam non te lædent quæ si sacris in libris divinâ majestate non satis digna primâ facie videntur : « Deus enim non potuisset humanos congressus « inire, nisi humanos et sensus et affectus suscepisset, per « quos vim majestatis suæ, intolerabilem utique mediocritati « humanæ, humilitate temperaret, sibi quidem indignâ, ho- « mini autem necessariâ ; et jam Deo dignâ, quia nihil tàm « dignum Deo quàm salus hominis (4). » Ad hanc legem revocanda sunt quæ de Dei pœnitentiâ, irâ, indignatione audimus : « Non enim si hominem ex recordatione plurimùm de-

(1) Apol, § 17.
(2) Adv. Marc, II, § 2.
(3) Adv. Marc, II, § 16.
(4) *Id.*, *ib.*, § 27.

« licti, interdum et ex alicujus boni operis pœnitet, ideò et « Deum proindè. In quantùm enim nec Deus malum admittit, « nec bonum damnat, in tantùm nec pœnitentiæ boni aut « mali apud eum locus est. Quis ergò erit mos pœnitentiæ « divinæ? Jam relucet, si non ad humanas conditiones eam « referas. Nihil enim aliud intelligetur quàm simplex conver- « sio sententiæ prioris, pro rerum variantium sese oc- « cursu (1). » Eâdem ratione Deum irasci licebit: « Justi- « tiam antè omnia judicis dispice, cujus si ratio constiterit, « tunc et severitas, et per quæ severitas decurrit, rationi et « justitiæ deputabuntur..... Bona enim severitas, quia « justa, si bonus judex, quia justus. Item cætera bona, per « quæ opus bonum currit bonæ severitatis, sive ira, sive « æmulatio, sive sævitia. Longè sumus à sententiâ eorum qui « nolunt Deum curare quidquam; quippe Deum non ab Epi- « curo erudimur.... Indè venit ad hæreticos quoque definitio « hujusmodi: si Deus irascitur, et æmulatur, et extollitur, et « exacerbatur; ergò et corrumpetur, ergò et morietur. Stultis- « simi, qui de humanis divina præjudicant, ut, quoniam in ho- « mine corruptoriæ conditionis habentur hujusmodi passiones, « idcircò et in Deo ejusdem statûs existimentur. Discerne « substantias, et suos eis distribue sensus, tàm diversos quàm « substantiæ exigunt, licet vocabulis communicare videantur. « Nam et dexteram, et oculos, et pedes Dei legimus, nec ideò « tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione so- « ciantur.... Siquidem Deum confitendo, præjudicavimus « illum ab omni humanarum conditionum qualitate diver- « sum... Hæc ergò censenda est Dei imago in homine, quòd « eosdem motus et sensus habeat humanus animus, quos et « Deus, licet non tales quales Deus. Pro substantiâ enim et « status eorum et exitus distant.... Irascetur igitur Deus, « sed non exacerbabitur, sed non periclitabitur: movebitur, « sed non evertetur. Omnia necesse est adhibeat propter

(1) Adv. Marc., II, § 24.

« omnia, et iram propter scelestos, et bilem propter ingra-
« tos, et æmulationem propter superbos, et quidquid non
« expedit malis (1). »

His satis cavisse videtur Septimius objectum anthropomorphitis crimen, quorum in societatem à quibusdam, immeritus invitusque, relegatur. Quòd si pleniora lucidioraque apud illum desideres, haud adversabor, modò verbis, non doctrinæ, aliquid deesse agnoscas. Præthereà, si recogitaveris quanta ab Epicureâ illâ numinis immobilitate moribus pericula imminerent, hæc omnia de vero Deo dici patieris, modò mentibus omnium infixum fuerit, non de Deo, in quantùm Deus est, dici, sed ad nos spectare, ad nos referri, et à Deo propter nos exerceri. Amor enim boni, quo ipse se Deus necessariò diligit, non sine summo mali quod ab homine admittitur, sive odio, sive quod aliud malis ejusmodi nomen, existere potest; atque hoc nomine, quodcumque sit, iram, bilem, indignationem contineri quis non perspicit?

Eadem causa Septimium impulit ut, quemadmodum Deo iram attribuerat, ne humanarum rerum nullam curam gerere videretur, ità corporeum fingeret, ne nullus crederetur. In quo mentem scriptoris non aliter possumus excusare, quàm si pessimi verborum abusûs reum agnoscamus. Quum enim *neminem esse* confidentissimè pronuntiat *qui Deum neget corporeum* (2), aut hominis frontem miror impudentissimè mentientis, aut suspicio subit, vocabulo quo lædor novam quamdam, contrà jus fasque, dari significationem. Quod me rectè suspicari ipse Septimius alibi demonstrat, corpus *substantiam cujusque rei* (3) esse definiens, atque, ut sequitur, de animâ argumentans : « Cum animam invisibilem dicant, corporalem « eam constituunt, habentem quod invisibile sit. Nihil enim « habens invisibile, quomodò potest invisibilis dici? Sed ne

(1) Adv., Marc., II, § 16.
(2) Adv. Prax., § 7.
(3) Adv. Hermog., § 35.

« esse quidem potest, non habens per quod sit. Si autem et « sit, et habeat aliquid per quod est, hoc erit corpus ejus. « Omne quod est, corpus est sui generis : nihil est incorpo- « rale, nisi quod non est (1). » His adducor ut B. Augustino assentiam, qui hunc errorem, postquam notavit, his verbis excusat. « Ad hæc numquam cogeretur, si aliquid cogitare « posset, quod et sit, et corpus non sit (2). Timuit enim ne « Deus nihil esset, si corpus non esset (3)... Non tamen hæ- « reticus hinc creditur factus. Posset enim quoquo modo pu- « tari, ipsam naturam substantiamque divinam corpus vocare, « non tale corpus, cujus partes aliæ majores, aliæ minores « debeant cogitari, qualia sunt omnia, quæ propriè dicimus « corpora, sed propterea corpus Deum dicere, quia non est « nihil, non est inanitas, non est qualitas, sed in suâ naturâ « atque substantiâ immutabiliter permanet (4). »

Verùm, his in præsenti omissis, ad quæ infrà revertemur, ad reliqua pergamus. — Nil egerit christianus scriptor, si, divinam esse aliquam naturam probasse contentus, non illam à commentitiorum deorum turbâ in regiam unius numinis solitudinem vindicaverit. Quo munere postquàm Septimius, et adversùs Marcionem, in eo quem jam attulimus loco, et adversùs Ethnicos, multis in libris, plenissimè functus est, restabat operosius aliquid, nempe periculum illud propellere, quod ab antiquo de materiâ æternâ errore divinæ unitati imminebat. Hæc labes omnes philosophiæ scolas infecerat, sed nullam magis quàm Stoïcam : ad quam à christianâ disciplinâ quidam Hermogenes deflexus, veterem de materiâ instauraverat fabulam : undè Septimio occasio fuit, ut veritati, tot sæculis intrà Judææ fines circumscriptæ, novam lucem circumfunderet (5). Postquàm igitur mores ingeniumque hominis solitis salibus

(1) De carne. Christi, § 11.
(2) D. August., l. X, de Genes. ad litt.
(3) *Id. ib.*
(4) *Id.*, de hæres.
(5) Adversùs Hermog., passim.

obiter respersit, et paucis adversùs ejus argumentationem velatitus est; rem propiùs adortus, Deum ità Deum esse asserit si solus sit, si nihil ei adæquetur : sin quæ propria Dei sunt cum altero communicabuntur, aut jam Deus non erit, aut duo dii numerabuntur. Porrò, quid magis Dei proprium quàm æternum esse et primum? Undè sequitur ut Hermogenes, materiam quoque primam æternamque censens, duos deos excogitaverit. Nil refert quòd non eodem nomine appellentur, si idem status eademque ratio in utroque est. Nec est quòd dicat Hermogenes materiam, si æterna sit, non continuò æquari Deo; cùm æternitas illud sit primum et singulare, ex quo cætera divinitatis statim sequantur, cùmque aut solius Dei sit quidquid ipsius est, aut ab illo in alia, quâdam liberalitate, defluat. Hermogenis autem materia æternitatem à se, non à Deo, habet; ità ut, quidquid de se locutus fuerit Deus, æquo jure sibi materia vindicet. — At enim materia minor et inferior Deo? Nequaquàm, quoniam minora et humiliora quæque ideò sunt parva, ideòque humilia, quia nata et facta sunt; parique ratione, quidquid innatum infectumque est nullam deminutionem capit aut subjectionem. Æternitas, divinitatis est nota : atqui divinitas gradum non habet; ergò quidquid æternum, idem tota divinitas est, nec ulli subjiciendum. Imò, Deus materiæ jure subjiciatur : Deus enim materiâ ad rem agendam eguit, non illa autem Deo; sed egenti se Deo præstitit, divitem, et locupletem, et liberalem, ut ex illâ haberet undé cognosceretur. Illâ nempè precariò usus est, non eâ potestate quam si habuisset, materiam antè omnia de malâ in bonam convertisset, ut, ipse bonus, bonâ uteretur. Nonne Deo dignius fuit nihil agere, quàm de malâ materiâ, idque precariò, cuncta fecisse? — Ergò ex nihilo faceret, ut mala ejus arbitrio imputarentur? — Quasi verò ullus Deus hâc de malo quæstione liberari possit, quod aut fecit, aut permisit, aut passus est! Nil agit igitur Hermogenes; qui nobis Deum profert, si non auctorem, certè assentatorem mali; — si auctorem, malum; — si assentatorem, fatuum vel infirmum.

Cæterùm, paulò pressiùs interrogatus, hæret Hermogenes, nec habet undè illud suum, *materiam esse mali originem*, defendat, cùm summum bonum constet esse quod nullam deminutionem capit, quodque æternum est, ut Deus, ut illa Stoïcorum materia. Sin autem æterna possunt in malis censeri, quidni hoc de Deo quoque credatur? Prætereà, insuperabile est malum, si æternum ponatur; frustrà illud tollere de nobis laboramus, quod usque permanebit; et injuriâ punit Deus quæ de necessitate oriuntur. Quòd si finis aliquandò futurus sit malorum, bonumque immortalis victoria maneat, necesse est malo, seu materiæ, ut finis, ità competat initium. In summâ, æternitas materiam facit inconvertibilem, et indemutabilem : demutatio enim eorum est quæ initium habent. Quomodò igitur ex illà materiâ malâ, imò pessimâ, bona et optima, ut Scripturis, ut ipsis oculis docemur, effici potuerunt? Si quis semina quædam boni in materiâ fuisse fabuletur, ergò non jam bona ipsa, sicut nec mala, Deo deputabuntur, nec ulla jam gratia illi habenda erit, manifestumque fiet, illum materiæ deservisse. — Instabis, Deum fingens suo arbitrio de gremio materiæ bona protulisse? Igitur eadem erit conditio omnium, jamque mali auctor reperietur : cur enim, bona et mala obvia habens, hæc quoque protulit, non illis, ut videtur, contentus? Quòd si non ex materiâ bona protulit, restat ut ex nihilo effecerit : cur ergò non omnia ex nihilo, si aliquid ex nihilo? Si enim mala ex materiâ producta aliqua necessitas excusat, eadem ex nihilo facta excusabit. Ex quibus tandem concluditur totam æternæ materiæ doctrinam, ut absurdam, ità inutilem esse, et nulli difficultati respondere (1).

Jam aliquid victoriæ partum est. Verùm, ubi Deum creatorem ostenderis, quæretur à te quid creando maximè voluerit; sicque in gravissimam incides et ipse de malo quæstionem : quam expedire eò magis tibi incumbit, quò acriùs

(1) Adv. Hermog., §§ 1-17, passim.

veterum philosophorum de illâ sententias insectatus es. Utrumque ità Septimius effecit, ut et Marcion convinceretur, mali originem ad Deum referens, et disceret philosophia solvi denique tantum possé nodum, nec tamen illud de materiâ æternâ portentum induci.

Plato, cùm in quibusdam aliis, tùm in hoc maximè ad christianam veritatem videtur accessisse, quòd illi, quem miramur, κόσμῳ nullam præter Dei bonitatem causam esse voluit. Vide tamen quantò dignius de Deo nostri scriptores et dicant et sentiant. Platonis ille δημιουργός, materiam reperiens omni specie destitutam, miseretur inopiæ ejus, et illam aggreditur expolire. Laudandum sanè consilium, sed quod nullius humani artificis, modò arte suâ delectetur, animos aut bonitatem excedat. Quis enim sculptor, marmoreo saxo obvius, non continuò statuam jam in mente suâ existentem ex illo extrahere cogitat? Adde quod plenam potestatem in materiam, sui juris anteà, vindicare, ambitionem redolet, non minùs quàm misericordiam. Præstereà, mundo quidem numerum, et pondus, et mensuram Platonicus ille deus largitur; sed, cùm supremus sit summæ bonitatis conatus se ipsam donare, se tamen sibi servat, maximumque ejus orbi terrarum munus, geometria quædam cœlestis est, cujus legibus sidera reguntur. Quantò diviniùs Christianorum Deus, qui, primùm, nihil extrà se, cujus misereretur, aut in quod suam protenderet dominationem, inveniens, tanto benefaciendi amore correptus est, ut res universas, tanquam quædam vasa in quæ largitiones effunderet, sibi ipse struxit; dein singulas mundi partes ideò diligentissimè disposuit, et exornavit, ut

> Sanctius his animal, mentisque capacius altæ,

spectaculo tantæ molis ad se converteret, haberemusque domicilium in quo omnia illum loquerentur, donec nobis, ad se retractis, se totum Deus fruendum præberet. Sed ipsum Septimium de his disserentem audire præstat, quo non alius, ut

opinor, neque Creatoris mentem altiùs scrutatus est, neque præclaram illam doctrinam verbis splendidioribus expressit :

« Prima bonitas Creatoris, quâ se Deus noluit in perpetuum « latere, id est non esse aliquid cui Creator cognosceretur. « Quid enim tam bonum, quàm notitia et fructus Dei? nam, « etsi nondùm apparebat hoc bonum esse, quia nondùm erat « quidquam cui appareret; sed Deus præsciebat quid boni « apparitarum esset, et ideò in suam summam commisit bo-« nitatem, appariturі boni negotiatricem... Cùm igitur cog-« noscendo Deo prospexisset hominem bonitas Dei ipsius, « etiam hoc præconio suo addidit quòd priùs domicilium ho-« mini commentata est... Mundus ex omnibus bonis constitit, « satis præmonstrans quantum boni pararetur illi cui para-« batur hoc totum. Quis denique dignus incolere Dei opera, « quàm ipsius imago et similitudo? Eam quoque bonitas, et « quidem operantior, operata est, non imperiali verbo, sed « familiari manu... Bonitas inflavit animam, non mortuam, « sed vivam. Bonitas præfecit universis fruendis atque reg-« nandis, etiam cognominandis. Bonitas ampliùs delicias ad-« jecit homini, ut, quamquam totius orbis præsidens, in « amœnioribus moraretur, translatus in paradisum, jam tunc « de mundo in Ecclesiam. Eadem bonitas et adjutorium « prospexit, ne quid non boni : *Non est*, enim, inquit, *bonum,* « *hominem esse solum*. Sciebat illi sexum Mariæ et deinceps « Ecclesiæ profuturum. Sed et quam arguis legem, bonitas « erogavit, consulens homini quo Deo adhæreret, ne non tàm « liber quàm abjectus videretur, æquandus famulis suis cæ-« teris animalibus, solutis à Deo et ex fastidio liberis, sed ut « solus homo gloriaretur, quòd solus dignus fuisset qui legem « à Deo sumeret; utque animal rationale, intellectûs et scien-« tiæ capax, ipsâ libertate rationali contineretur, ei subjectus « qui illi subjecerat omnia. Benignissimè item demonstravit « transgressionis exitum, ne ignorantia periculi negligentiam « juvaret obsequii...

« Hinc jam ad quæstiones omnes. O canes, quos foràs

« Apostolus expellit, latrantes in Deum veritatis! Hæc sunt « argumentationum ossa quæ obroditis : — si Deus bonus, et « præscius futuri, et avertendi mali potens, cur hominem, et « quidem imaginem suam, passus est labi de obsequio legis « in mortem, circumventum à diabolo? Si enim et bonus, « qui evenire tale quid nollet, et præscius, qui eventurum « non ignoraret, et potens, qui depellere valeret, nullo modo « evenisset quod sub his tribus conditionibus divinæ majes-« tatis evenire non posset. Quod si evenit, absolutum est è « contrariò Deum neque bonum credendum, neque præ-« scium, neque potentem...

« Videamus ergò hominis conditionem, ne per illam potiùs « evenerit quod per Deum evenire non potuit. Liberum, et « sui arbitrii, et suæ potestatis invenio hominem à Deo insti-« tutum, nullam magis similitudinem Dei in eo deprehendens « quàm ejusmodi statûs formam. Hunc statum ejus confir-« mavit etiam ipsa lex, tunc à Deo posita. Non enim ponere-« tur lex ei qui non haberet obsequium legi debitum in suâ « potestate; nec rursùs comminatio mortis transgressioni ad-« scriberetur, si non et contemptus legis in arbitrii libertatem « homini deputaretur.

« Sed, quoniam in hoc jam intelligimur eò struentes liberam « hominis potestatem arbitrii sui, ut quod evenit, non Deo, « sed ipsi debeat exprobrari; ne et tu jam hinc opponas non « ità illum institui debuisse, si libertas et potestas arbitrii exi-« tiosa futura esset, hoc quoque primum defendam ità institui « debuisse, quò fortiùs commendem et ità institutum, et « dignè Deo institutum, potiore ostensâ eâ causâ quæ ità fecit « institui.

« Oportebat Deum cognosci: bonum hoc utique et ratio-« nale. Oportebat dignum aliquid esse quod Deum cognos-« ceret : quid tàm dignum prospici posset, quàm imago Dei? « Et hoc bonum sine dubio et rationale. Oportebat igitur « imaginem Dei, liberi arbitrii et suæ potestatis institui, in « quâ hoc ipsum, imago et similitudo Dei, deputaretur... Sed

« et aliàs, quale erat ut, totius mundi possidens homo, non « inprimis animi sui possessione regnaret, aliorum dominus, « suî famulus? Habes igitur et bonitatem Dei agnoscere ex « dignatione, et rationem ex dispositione. Sola nunc bonitas « deputetur, quæ tantum homini largita sit, id est arbitrii « libertatem. Aliud sibi ratio defendat in ejusmodi insti- « tutionem. Nam bonus naturâ Deus solus. Qui enim quod « est sine initio habet, non institutione habet illud, sed « naturâ. Homo autem qui totus ex institutione est, ha- « bens initium, cum initio sortitus est formam quâ esset : « atque ità non naturâ in bonum dispositus est, sed institu- « tione, secundùm institutorem bonum, scilicet bonorum « conditorem. Ut ergò bonum jam suum haberet homo, « emancipatum sibi à Deo, et fieret proprietas jam boni in « homine, et quodam modo natura, de institutione adscripta « est illi, quasi libripens emancipati à Deo boni, libertas, et « potestas arbitrii, quæ efficeret bonum, ut proprium, jam « sponte præstari ab homine; quoniam et hoc ratio exigeret « bonitatis voluntariè exercendæ, ex libertate scilicet arbitrii « favente institutioni, non serviente; ut ità demùm bonus « consisteret homo, si, secundùm institutionem quidem, sed « ex voluntate jam bonus inveniretur, quasi de proprietate « naturæ; proindè ut contrà malum fortior homo prætende- « ret, liber scilicet, et suæ potestatis; quia, si careret hoc « jure, ut bonum quoque non voluntate obiret, sed necessi- « tate, usurpabilis etiàm malo futurus esset, ex infirmitate « servitii, proindè et malo sicut bono famulus. Tota ergò li- « bertas arbitrii in utramque partem concessa est illi, ut suî « dominus constanter occurreret, et bono spontè servando, et « malo spontè vitando : quoniam et aliàs, positum sub judicio « Dei, oportebat justum illud efficere de arbitrii sui merito, « liberi scilicet. Cæterùm, nec boni nec mali merces jure « pensaretur ei qui aut bonus aut malus necessitate fuisset « inventus, non voluntate. In hoc et lex constituta est, non « excludens, sed probans libertatem, de obsequio spontè præs-

« tando, vel transgressione spontè committendâ : ità in utrum-
« que libertas patuit arbitrii. Igitur, si et bonitas, et ratio Dei
« invenitur circà libertatem arbitrii concessam homini, non
« oportet, omissâ primâ definitione bonitatis, atque rationis,
« quæ ante omnem tractatum constituenda est, postfactis
« præjudicare, non ità Deum instituere debuisse, quia aliter
« quàm Deum deceret evasit; sed, dispecto quia ità debuerat
« instituere, salvo eo quod dispectum est, cætera explorare.
« Cæterùm facile est offendentes statim in hominis ruinam,
« antequàm conditionem ejus inspexerint, in auctorem referre
« quod accidit, quia nec auctoris examinata sit ratio. Denique,
« et bonitas Dei, à primordio operum perspecta, persuadebit
« nihil à Deo mali evenire potuisse, et libertas hominis reco-
« gitata se potiùs ream ostendet quod ipsa commisit. Hâc de-
« finitione omnia Deo salva sunt, et natura bonitatis, et ratio
« dispositionis, et præscientiæ et potentiæ copia. Exigere ta-
« men debes à Deo et gravitatem summam, et fidem præci-
« puam in omni institutione ejus, ut desinas quærere, an,
« Deo nolente, potuerit quid evenire. Tenens enim gravitatem
« et fidem Dei boni, sed rationalibus institutionibus ejus vin-
« dicandas, nec illud miraberis quòd Deus non intercesserit ad-
« versùs ea quæ noluit evenire, ut conservaret ea quæ voluit.
« Si semel homini permiserat arbitrii libertatem et potestatem,
« et dignè permiserat, utique fruendas eas ex ipsâ institutionis
« et auctoritate permiserat, fruendas autem, quantùm in ipso,
« secundùm ipsum, id est, secundùm Deum, id est, in bo-
« num; quis enim adversùs se permittit aliquid? quantùm
« verò in homine, secundùm motus libertatis ipsius : quis
« enim non hoc præstat ei, cui quid semel frui præstat, ut
« pro animo et arbitrio suo fruatur? Igitur consequens erat
« uti Deus secederet à libertate semel concessâ homini, id
« est, contineret in semetipso et præscientiam et præpotentiam
« suam, per quas intercedere potuisset, quominùs homo, li-
« bertate suâ frui aggressus, in periculum laberetur. Si enim
« intercessisset, rescidisset arbitrii libertatem quam ratione et

« bonitate permiserat. Denique, puta intercessisse, nonne ex « clamares : O dominum futilem, instabilem, infidelem, res« cindentem quæ instituit ! Cur permiserat liberum arbitrium, « si intercedit? Cur intercedit, si permisit? Nonne tunc magis « deceptus ex imprescientiâ futuri videretur, cùm obstitis« set (1)? »

En elucidata sunt omnia, quæ dum nescivit genus humanum, ambulavit in tenebris, æquè et viæ quà incedendum, et finis quò eundum esset, incertus. En manifestum est Dei bonitatem, sapientiâ potentiâque ministris, omnia disposuisse, ut essent quibus cognosceretur Deus, et quibus se daret fruendum. Apparet quanta sit rationalis creaturæ dignitas, ad quam cætera omnia referantur, ad quam vel delectandam, vel erudiendam, rerum condita sit universitas. Cernitur quanta sint liberi arbitrii et necessitas et pretium, cùm, sine illo, anima jam non suî potens, amandi, id est se totam dandi, capax non sit, per illud autem, vitam beatam ipsumque Deum promereatur. Denique, undè oriantur mala intelligentes, non jam hominis vitium Deo objicimus; et mirari desinimus ancipitem illam libertatis potentiam, unde mala processerunt, nobis tamen à Deo concessam fuisse, cùm per illam manifestetur divina bonitas, humanaque virtus exerceatur.

III. De anima. Doctrinam Septimii de animâ expositurus, non dolere nequeo, quòd multa præclarè disputanda, multos acerrimè confutandos errores, errore ipse gravissimo Noster inauguraverit, animas esse corporales defendens. Equidem, si peccantium multitudo peccatorem excusaret, illud pro Septimio faceret, quòd tota antiquitas, aut animam de materiâ corporeâ conflatam, cum Epicureis Stoïcisque, credidit, aut, cum Platone, non tantùm incorpoream, verùm etiam increatam et ipsius Dei fortasse partem existimavit, aut Aristotelem secuta

(1) Adv. Marc., II, §§ 2-8.

est, de utroque mendacio aliquid mutuantem; nullique interim venit in mentem dari posse substantias spiritales simul et creatas. Adeò, quò quid manifestiùs ante oculos positum est, eò minùs interdum advertitur : quid est enim cujus magis conscii simus quàm animam nostram, cùm simplicem et unam esse, ideòque incorpoream, tùm suam in se non habere originem, quippe quæ ætatem suam ne unâ quidem die producere possit, totaque aliundè pendeat? Igitur, si necesse fuit errare et in hunc aut illum incidere scopulum, Septimium laudes quòd saltem minima de malis selegerit: quippe longiùs majoreque cum periculo à vero recedit cui divinitas animorum placet, quàm cui Septimiana illa corporeitas, à divo Augustino ferè excusata.

Non enim eo animo Septimius corpoream asseruit animam, quo multi solent, qui, omnes notitias à sensibus oriri sibi persuadentes, eò adducuntur ut nil animæ cognoscibile, nisi quod visum aut auditum percellat, nil appetibile, nisi quod sensus permulceat, existiment. Ergò omnis humana cognitio ad corpora, omnis vita ad corporeas voluptates, secundùm istos, refertur. Nil nobis neque cum Deo, quem nullus sensus contingere valet, neque cum officiis, voluptati plerumque repugnantibus. Ergò non duplex homini propositum est officium, animam ad altiora erigere, corpus ad serviendum animæ flectere. Totus homo carneam vitam agere debet, quoniam totus homo caro est. Denique, ubi cohærentium inter se membrorum nexus solvitur, de toto homine actum est, neque, sublato bonorum malorumque discrimine, ulla vitæ subsequenti causa, locusve relinquitur. Nil horum simile apud Septimium; qui intellectum à sensu, et (ut ipse habet) incorporales sensus à corporalibus, accuratissimè discernit, et multa de inimicitiis animæ cum carne gerendis, multa de futurâ, quam vita præsens adumbrat, ætate, disserit. Nil apud illum immortalitas animi periclitatur, quem multi ità tantum carni superfuturum existimant, si simplex fuerit, gravissimo, ut ego opinor, errore laborantes. Sic enim argumentando se ipsi decipiunt :

Quid mori? dissolvi. Quid anima? simplex aliquid neque in partes solubile : ergò nihil illi cum interitu. Optimum sanè Platonico argumentum, qui nihil neque creari, neque ad nihilum redigi posse credit; Christiano verò pessimum, cui immortalitas à Dei potestate omninò libera non placeret. Immortalitatem enim ità animabus adscriptam, quasi ad illarum naturam necessariò pertineat, æternitas *à parte antè* continuò sequetur, aderuntque omnesde animarum divinitate fabulæ, et quidquid pestiferi in πανθεισμῷ inducitur. Quid enim sic argumentum retorquere prohibeat : *Quid nativitas? partium anteà disjunctarum congregatio. Quid anima? simplex aliquid nec partium junctione conflatum. Ergò anima à nativitate aliena.* Sed illud inest utrique syllogismo vitium, quòd alteri tantum è duabus nascendi intereundique formis attendit, eam dico quæ compositis rebus congruit; eam verò omittit aut negat (quod in christiano philosopho mireris) quæ creando et penitùs destruendo procedit. Quamquam quid de destruendâ creaturâ loquor? cujus ea est conditio, ut, pondere suo, εἰς τὸ μηδέν, undè educta est, continuò recidat, ni vitam jam jamque defecturam, perpetuus æterno de fonte recreet influxus. Igitur, si ad naturam spectes, ut nihil æternum, ità nihil immortale nisi solus Deus: si ad gratiam, omnia immortalitatis, id est ætatis indesinenter continuatæ, capacia sunt, neque vel minimi interest, corporeane sint ideòque composita, an spiritalia ideòque simplicia: unum nobis intuendum est, divina de illis voluntas, sive verbis desursùm descendentibus innotescat, sive natura humana, altè intuentibus, ipsa finem ad quem à Deo instituta est, declaret. Indè enim elucebit, eam fuisse Creatori mentem, non ut homines, asperrimis vitæ fluctibus diù jactati, naufragio tandem absumerentur, sed ut, portum aliquandò adepti, supremæ beatudinis fierent participes, cujus omnes, vel inscii, naturali amore ardemus.

Nostro integrum fuit rectam hanc defendendæ immortalitatis viam inire, nec ejus in scriptis quidquam horum quæ hominem efficiunt scientiæ, et virtutis, et immortalitatis capa-

cissimum, in dubium vocatur. Eximendus est itaque ex hâc turbâ animam ideò corpoream asserentium ut paretur via impietati, præcludaturque in cœlum aditus. Non leve tamen fuerit peccatum, tantoperè à vero, gravissimâ in quæstione, aberrasse, christiani nominis auctoritatem carnis fautoribus præbuisse, pravamque sententiam infirmissimis defensionibus propugnasse; ut credas Nostrum desertæ veritatis luere pœnas, dum solita eum ingenii subtilitas, solitumque robur, in tutando errore penitùs deficiunt. Tota enim ejus argumentatio, si paulò propiùs spectes, in *principii petitione* nititur. Nihil esse omninò quod non sit corpus, nec asserere dubitat, nec probare curat: quod si concedas, quis non malit animam corpoream dicere, quàm iis quæ non sunt annumerare? Verùm, si, præ quâdam mentis lippitudine, nil nisi corporeum animo concipere queas, undè tibi talis audacia, ut lucem, quâ cæcus non illuminaris, non esse contendas, cùm præsertim nihil afferas undè animæ spiritalis fides vel minimè labefactetur? Cæterùm, hæc cùm præmiseris, multa facillimè addentur: incorporalitatem nil pati, cùm non habeat per quod patiatur, corpoream ergò esse animam, si vel apud inferos crucianda, vel in sinu Abrahæ, post discessum à carne, refocillanda sit; animam, utpotè extrinsecùs motam, ipsamque corpori movendo præpositam, eâ de causâ corpoream esse: quippe, concesso nihil existere quod non sit corpus, sequitur incorporea neque movere, neque moveri neque aliquid aliud aut facere aut pati posse.

Cùm autem illud Septimio objiceretur, animam, si corporea esset, carnis oculis percipi debuisse, respondere non operosum fuit, eam sui generis corpus esse, atque, ut perspiciatur, alios quàm quibus utimur sensus requirere. Si tamen urgeas, apertè profitebitur: « Solemniora quæque, et omni-
« modo debita corpulentiæ, adesse animæ, ut habitum, ut
« terminum, ut illud trifariàm distantivum, longitudinem dico
« et latitudinem, et sublimitatem, quibus metantur corporea

« philosophi (1). » Dabit etiam effigiem, « humano nempè « corpori similem, cùm flatus ille divinus, per universa cor« poris spatia diffusus, omni intùs lineâ expressus sit, quam « densatus impleverat, et velut in formâ gelaverit (2). » Dait colorem, *aerium et lucidum* (3), à mulierculâ quâdam (quæ fuerit incertum, Priscane vel Maximilla, an delirantium prophetissarum haud indigna discipula), cui sua pro Spiritûs sancti vocibus somnia placebant, hæc opinionum monstra edoctus.

Si tamen urgeas nihil corporeum animæ congruere, ejusque dotes, non sensibus, ut cæterorum corporum, sed intellectu renuntiari, audi quid respondeat : « Si constat incor« poralia per corporales renuntiari sensus, sonum per « auditum, colorem per conspectum, odorem per odoratum, « cur non et anima, quæ corporalis est, ab incorporabilus re« nuntietur (4)? »

Si instes, ut corporea carni alimenta, ità spiritalem cibum animo adhiberi, incorporalia scilicet studia sapientiæ, inanissimè respondebit *ruentem animam cibis plerumque fulciri* (5), quasi ipsam animam alimenta refocillent, non corpus et ejus cum animâ consortium. Addit jocando : « animas philosophiâ « jejunantes vivere nihilominùs, neminemque umquam ani« mæ aquam mulsam de eloquio Platonis infudisse, aut micas « de multiloquio Aristotelis infersisse (6). » Haud illepidè quidem scientiam veterum, ad sitim animæ sedandam sæpiùs inutilem, carpit : poterat tamen meminisse Christi dicentis : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei.*

Liceat nunc à Septimio ad Septimium provocare, non quòd

(1) De An., § 9.
(2) *Id. ib.*
(3) *Id. ib.*
(4) *Id.* § 6.
(5) *Id. ib.*
(6) *Id. ib.*

juvet præstantissimi ingenii virum secum inducere pugnantem, sed quò pleniùs vis veritatis eluceat, suos etiam adversarios in suam cogentis defensionem. Miraberis, qui modò *trifariàm illud distantivum* animæ, quasi cuidam geometriæ figuræ, induebat, nunc *simplicem* asserere, et *singularem*, et *de suo totam*, nec *magis instructilem aliundè quàm divisibilem ex se, quia indissolubilis* (1) ; imò summâ curâ caventem, ne simplicitas animorum negata in perniciem nostræ de immortalitate fidei redundet. Multa, ne quis in his rebus error irrepat, à Septimio afferuntur : « animam et carnem simul « crescere, sed divisâ ratione pro generum conditione, car- « nem modulo, animam ingenio : cæterùm animàm nullo « modo substantiâ crescere, ne etiam decrescere substantiâ « credatur, atque ità et defectura dicatur : sed vim ejus, in « quâ naturalia peculia consita retinentur, salvo substantiæ « modulo, quo à primordio inflata est, paulatim cum carne « produci; ità et animæ crementa non substantiva reputanda « esse, sed provocativa (2). » Eàdem de causâ « auferen- « dam esse » censet « argumentatoris occasionem, qui, quòd « anima videatur desiderare alimenta, hinc quoque mortalem « eam intelligi cupit, quæ cibis sustineatur, denique, deroga- « tis eis, evigescat, postremò, subtractis, intercidat (3). » Ad hæc Septimius : « Non solùm proponendum est quisnam ea « desideret, sed cui ; et, si propter se, sed et cur, et quandò « et quònam usque, tum, quòd aliud naturâ desiderat, aliud « necessitate, aliud secundùm proprietatem, aliud in cau- « sam. Desiderabit igitur cibos anima, sibi quidem ex causâ « necessitatis, carni verò ex causâ proprietatis. Certè enim « domus animæ caro est, et inquilinus carnis anima. Deside- « rabit itaque inquilinus, ex causâ et necessitate hujus nomi- « nis, profutura domui, toto inquilinatûs sui tempore, non

(1) De An., § 14.
(4) *Id.*, § 37.
(3) *Id.*, § 38.

« ut ipse substruendus, nec ut ipse loricandus, nec ut ipse « tibicinandus, sed tantummodò continendus, quia non aliter « contineri possit quàm domo fultâ : alioquin licebit animæ, « dilapsâ domo ex destitutione propriorum subsidiorum, in« columi abire, habenti sua firmamenta, et propriæ condi« tionis alimenta, immortalitatem, rationalitatem, sensuali« tatem, intellectualitatem, arbitrii libertatem; quæ omnia « nativitùs animæ conlata, idem qui in primordio invidit « nunc quoque obumbrat atque depravat (1). » Sed nil tantoperè Septimio videtur cavendum quàm ne anima in partes dividi posse credatur, nec illas tàm partes animæ haberi vult quàm vires, et efficacias, et operas. « Non enim membra « sunt substantiæ animalis, sed ingenia: ut motorium, ut « actorium, ut cogitatorium, et si qua in hunc modum dis« tinguunt. Quibus omnibus etsi certa singulis domicilia in « corpore determinaverunt, non idcircò hæc quoque distri« butio animæ ad animæ sectiones pertinebit (2). »

Denique, ne quis pœnas nocentium, bonorumque mercedes, post animarum à corporibus discessum differendas arbitretur donec utriusque redintegretur consortium, optimè Noster ostendit « sæpiùs animam, non expectato corpore, do« lere aut gaudere, sibique de suo sufficere ad utriusque titu« lum passionis. Quotiès, illæso corpore, anima sola torque« tur bile, irâ, tædio plerumque nec sibi noto? quotiès « item, corpore adflicto, furtivum sibi gaudium anima ex« quirit, et à corporis importunâ tum societate secedit? Men« tior, si non de ipsis cruciatibus corporis et gloriari et gau« dere sola consuevit. Respice ad Mutii animam, cùm « dexteram suam ignibus solvit. Respice ad Zenonis, cùm « illam Dionysii tormenta prætereunt. Morsus ferarum orna« menta sunt juventutis, ut in Cyro ursi cicatrices (3). »

(1) De An., § 38.
(2) *Id.*, § 14.
(3) *Id.*, § 58.

Quis neget his verbis totam ferè quam nos profitemur veritatem contineri? Quis non, eodem in libro animam audiens et apertè prædicari corpoream, et optimè defendi simplicem, tantam miretur cæcitatem perspicacissimis immitti mentibus, ubi inter illos et veritatis radium præjudicata quædam pravaque incessit opinio! Quòd si, otiosam humanæ conditionis deplorationem omittentes, inquiramus quæ tandem causa Septimii oculis insolitam offuderit caliginem, nulla alia in promptu erit quàm mira quædam de verborum non adeò obscurorum significatione confusio; convinceturque Noster, quid corporeum ab incorporeo differat, planè non vidisse. Qui enim *colorem et sonum incorporea esse* (1) somniatus est, qui Deo corpus infinitum, homini autem simplex largitus est, ille sanè quid esset corpus potiùs quàm quid Deus et homo nescivit. Cùm igitur Noster unum spectaret, nempè ne fidei immortalitatis, ne præmiorum expectationi, timorique pœnarum, vel minima dubitationis umbra injiceretur, incredibile aliquid hæc, quam notavimus, confusio verborum attulit. Timuit, utpote qui corpus cujusque rei substantiam esse crederet, ne nihil esset, nihilque haberet per quod pateretur incorporalis anima, ideòque corpoream asseruit. Dein, alio terrore vexatus et in contrarium raptus, ne corporea anima corporum ritu interitura esset, animam, quam corpus esse dixerat, ut pati posset, eâdem de causâ corporis essentiâ exuit, dum simplicem prædicat, dum sua illi esse alimenta, suaque gaudia, suasque passiones absque consortio corporis agnoscit èt probat; ut sententia ejus non veriùs exprimi possit quàm si anima *corpus incorporeum* nuncupetur.

Post varios exitus disputationis de animarum naturà habitæ, restabat majus cum Platone de illarum origine certamen, cui Noster, ut digniori adversario, libentiùs quàm cæteris congreditur, interdum vehementiùs æquo errores veniâ dignos reprehendens, nec tanti viri in philosophiam merita,

(1) De An., § 6.

eo quo velim animi candore agnoscens. Nemo enim propiùs Platone ad christianam lucem accessit, multaque sunt ejus quibus severissimus quisque theologus libentissimè assentiatur. Nulla etiam nunc expeditior ad Deum via rationi patet quàm per Platonis dialecticam. Quum mundum hunc superioris cujusdam esse docet imaginem, divinum artificem ad æternas ideas, quasi ad perfectissimum exemplar, antequàm operaretur, respexisse, animas naturam habere ideis quàm materiæ magis adfinem, nil horum cum Christianâ disciplinâ non congruit. Cùm animæ ab hisce tenebris ad superæ veritatis radios ascensum repræsentaturus, nobilem illam *de specu* fingit allegoriam, ut egregius poëta, ità profundissimus rerum scrutator apparet. Denique, quam fabulam de minoribus delictis sub terrâ expiandis, insanabilibusque sceleribus æternâ pœnâ luendis, in Gorgiâ dialogo narrat, catholicam de animarum post mortem conditione doctrinam maximi ponderis testimonio confirmat. Insignes illæ, quibus tam feliciter Augustinus usurus erat, Platonismi cum Christianismo consentiones Septimium omninò latuerunt, qui paucissima de ideis, eaque obiter, et reprehensionis magis quàm laudationis similia. Sed, si alteram Platonicæ doctrinæ frontem intuearis, *dolebis*, ut ad Nostri verba redeam, *Platonem condimentarium omnium hæreticorum factum* (1), et quidquid apud illum sinceræ doctrinæ invenitur duorum errorum admixtione fœdari, quorum vel altera totius philosophiæ turbaret ordinem; materiæ æternitatem, quam ab Hermogene novis fultam argumentis Septimius jam prostravit, et animorum divinitatem, quam secuta est tota de reminiscentiis fabula, animas, post pennarum amissionem et lapsum in corpus, ad ideas paulatim à materiâ revocantibus.

Poëticum illud mendacium Septimius nunc aggreditur, validissimum auferre studens hæreticis argumentum, undè animæ innatæ et in cœlis conversatæ crederentur. Primùm, cui

(1) De An., § 23.

sano persuadeatur platonicam illam animam, divinitate donatam, ab omni passione alienam, tempus, cui terrena subjiciuntur, non habentem, oblivionis esse capacem? Hæc omnia, ut nostræ animæ congruunt initium habenti, ità à platonicis animabus arcenda, ut quæ suam illis divinitatem adimant. Dein, si animæ naturâ compotes sunt idearum, naturalis hæc scientia numquam excidet, quæ ne in bestiis quidem deficit. « Planè obliviscetur feritatis leo, mansuetudinis eruditione « præventus; et, cum toto suggestu jubarum, delicium fiet » Berenices alicujus reginæ, linguâ genas ejus emaculans: « mores bestiam relinquent, scientia naturalium permanebit: « non obliviscetur idem naturalium pabulorum, naturalium « remediorum, naturalium terrorum. Perindè et homini, « omnium forsan obliviosissimo, inobliterata perseverabit « sola scientia naturalium, ut sola scilicet naturalis, memor « semper manducandi in esurie, et bibendi in siti, et oculis « videndum, et auribus audiendum.... Igitur, si naturalis « scientia sensualium permanet, quomodo intellectualium, « quæ pòtior habetur, intercidit (1)? » Jam quod aiunt, oblivionem ex multitudine intervenientis temporis oriri, totum est alienum : temporis enim multitudo nihil ad animam pertinet, quæ innata et extrà tempus posita fingitur. Nec credibilius huic oblivioni corporis materiam in causâ esse: quî enim corpus reminiscentiis officeret, cùm neque naturali, cujus tot extant documenta, divinationi obsit, neque multorum firmissimam impediat recordationem? Postremò, pueri potissimum, utpote recentiores animæ, vitæ prioris recordari deberent, quod longè aliter evenire cernimus (2).

Idem robur argumentationis, verborum copiam et orationis lumina interdùm adhibere non dedignantis, Pythagoricæ, Platonicæ, Stoïcæ hypothesi de animis post certa temporum spatia redivivis, Septimius opponit. Nec immeritò : periclitabitur enim

(1) De An., § 24.
(2) *Id. ib.*

ordo rerum, tota vis abibit præmiorum atque pœnarum, mundusque fabulæ numquam enodandæ speciem præbebit, si virtuti vitioque non satis sit per unam vitam suî documenta dedisse, et necesse habeatur utrumque in novum usque discrimen vocari. Ut commentitiæ illi animorum circulationi fidem faceret, Plato contraria à contrariis, mortuos ex vivis, vivos ex mortuis oriri dictitaverat, sophisticis ad hoc in Phædone usus argumentis, quibus se dari patronum Socrates miraretur. Totam hanc argumentationis sylvam Septimius præcidit: « Mortuos ex vivis effici constat, non tamen ex mortuis vivos. « Ab initio enim vivi priores: undè ab initio mortui posteriores, non aliundè quàm ex vivis... Non usquequaque contraria ex contrariis reformari alternant. Et nos enim opponemus contrarietates nati et innati, visualitatis et cæcitatis, « juventæ et senectæ, sapientiæ et insipientiæ: nec tamen « ideò innatum de nato provenire, quia contrarium ex contrario fiat,.... nec juventam rursùs de senectâ reviviscere « quia ex juventâ senecta marcescat, nec insipientiam ex sapientiâ denuò obtundi, quia ex insipientiâ sapientia acuatur... Deindè si ex mortuis vivi, sicut mortui ex vivis, unus « omninò et idem semper hæsisset numerus omnium, ille « scilicet qui primus vitam introisset... Invenimus autem apud « commentarios etiam humanarum antiquitatum paulatim humanum genus exuberasse... Certè quidem ipse orbis in « promptu est, et cultior de die et instructior pristino. Omnia « jam pervia, omnia nota, omnia negotiosa: solitudines famosas retrò fundi amænissimi obliterant; sylvas arva « domuerunt; feras pecora fugaverunt: arenæ seruntur, saxa « panguntur, paludes eliquantur: tantæ urbes jam quantæ « non casæ quondam. Jam nec insulæ horrent, nec scopuli « terrent; ubique domus, ubique populus, ubique respublica, « ubique vita. Summum testimonium frequentiæ humanæ, « onerosi sumus mundo, vix nobis elementa sufficiunt, et necessitates arctiores, et querelæ apud omnes, dum jam nos « natura non sustinet. Reverà lues, et fames, et bella, et vo-

« ragines civitatum pro remedio deputanda, tanquam tonsura « inolescentis generis humani (1).

Altera μετενσωματώσεως forma tantò faciliùs fugabitur quantò irrationabiliùs animæ in bruta quàm in humana corpora transmigrare dicuntur. Quid enim magis absurdum quàm, cùm sint sua cuique animali natura, victus, sensus, adfectus, opera, gaudia, tædia, vitia, cupidines, voluptates, sui postremò et vitæ modi et exitus mortis, hæc omnia confundere, nullâ neque morum, neque formæ vivendi singulis debitæ, ratione habitâ : « Ergò anima, quæ terris inhærebat, nullius sublimi« tatis, nullius profunditatis intrepida, ascensu etiam scalarum « fatigabilis, submersu etiam piscinarum strangulabilis, aeri « posteà insultabit in aquilâ, aut mari posteà desultabit in « anguillâ (2)? » Hujusmodi fabulas Platoni placuisse nil equidem mirum, ut qui animæ cum humano corpore consortium aut violentum aut certè fortuitum judicaret : linquens enim anima quam, unius ætatis enavigandæ causâ, cymbam conscenderat, quid prohibet ne alterum iter suscipiat, alteri diversæ formæ navigio imposita? Nos verò, qui humanum corpus humanæ animæ, ut proprium propria munera exsequendi instrumentum obtigisse novimus, et ex utriusque junctione totum aliquid atque integrum extitisse, quod non sine violentiâ, nec præter spem resumendæ familiaritatis, morte dissociatur, *portentosam* irridebimus *præsumptionem bestias ex hominibus, et homines ex bestiis resolventem* (3). — Quòd si tàm enormis translationis causa requiratur, nullam fide dignam invenias. Quum enim judicii nomine vindicatur hoc dogma, quòd animæ humanæ pro vitæ meritis genera animalium sortiantur, nil agit Pythagoras. « Si enim mutantur « animæ, non ipsæ dispungentur quæ merebuntur : evacuabi« tur ratio judicii, si meritorum deerit sensus : deerit autem

(1) De An., §§ 29-30.
(2) *Id.*, § 32.
(3) *Id. ib.*

« sensus meritorum, si non eædem perseveraverint... Volo
« judicii utique divini justitiam, gravitatem, majestatem, dig-
« nitatem recensere, si non sublimiore fastigio præsidet hu-
« mana censura, plenior utriusque sententiæ honore, pœna-
« rum et gratiarum, severior in ulciscendo, et liberalior in
« largiendo. Quid putas futurum animam homicidæ? aliquod
« credo pecus lanienæ et macellæ destinatum, ut perindè ju-
« guletur quia et ipse jugulaverit, perindè in pabulum propo-
« natur quia et ipse bestiis objecerit eos quos in sylvis et aviis
« trucidaverit. Si ità judicabitur, nonne illa anima plus solatii
« quàm supplicii relatura est? quòd funus inter coquos pre-
« tiosissimos invenit, quòd condimentis Apicianis humatur,
« quòd mensis Ciceronianis infertur, quòd exsequias convivium
« patitur, quòd à coæqualibus devoratur potiùs quàm à milvis,
« ut, in hominis corpore tumulata, et in suum genus regressa,
« resurrexisse videatur, exultans adversùs humana judicia, si
« ea experta est? Namque illa sicarium variis et exquisitis
« suppliciis, et jam præter naturam eruditis feris dissipant, et
« quidem viventem, imò nec facilè morientem, curatâ morâ
« finis ad plenitudinem pœnæ. Sed etsi anima præfugerit ul-
« timo gladio, ne corpus quoque evaserit ferrum, indè in
« ignem datur, ut et sepulturâ puniatur: aliter denique non
« licet. Nec tanta tamen est rogi cura, ut reliquias aliæ bestiæ
« inveniant: certè nec ossibus parcitur, nec cineribus indul-
« getur, nuditate plectendis. Tanta est apud homines homicidii
« vindicta quanta ipsa quæ vindicatur natura.... Nam et qui,
« laboribus et servitiis puniendi, in asinos utique et mulos
« recorporabuntur, quantùm sibi de pistrinis et aquilegis rotis
« gratulabuntur, si metallorum et ergastulorum et operum
« publicorum, ipsorumque carcerum licet otiosorum recor-
« dentur. Perindè qui integrâ morati commendaverint judici
« vitam, quæro præmia, sed potiùs invenio supplicia. Nimi-
« rùm magna merces bonis in animalia quæcumque restitui...
« Damnatus est igitur Homerus in pavum, non honoratus:
« plus de sæculi remuneratione gaudebit, pater habitus libe-

« ralium disciplinarum... Omnia animalia famula sunt homi-
« nis : si vir bonus quid horum futurus est, diminoratur...
« O judicia divina post mortem humanis mendaciora, con-
« temptibilia de pœnis, fastidibilia de gratiis, quæ nec pessimi
« metuant, nec optimi cupiant ; ad quæ magis scelesti quàm
« sancti quique properabunt ;... cùm si quod judicium animas
« manet, gravius debeat credi in dispunctione vitæ quàm in
« administratione : quia nihil plenius quàm quod extremius...
« Deus itaque judicabit pleniùs per sententiam æternam tàm
« supplicii quàm refrigerii, nec in bestias, sed in sua corpora
« revertentibus animabus : et hoc semel, et in eum diem quem
« solus Pater novit, ut pendulâ expectatione sollicitudo fidei
« probetur, semper diem observans, dùm semper ignorat,
« quotidiè timens quod quotidiè sperat (1). »

Ex his, aliisque suprà memoratis, satis apparet quæ conditio hominem post mortem maneat, cùm Deus animam ideò fecerit simplicem, ne, soluto corpore, ipsa solveretur ; ideò rationabilem ut, se noscendo, auctorem suum nosset, noscendo amaret, amando frueretur, et verum *finem bonorum*, diù frustràque tot sæculis quæritatum, assequeretur ; ideò liberam ut honestè turpiterve facta ipsi imputarentur. Indè cernitur quantus error quosdam decipiat, quibus supplicia malorum, ut divinæ bonitati aliena, displicent, non cogitantibus scilicet *Deum de suo bonum, de nostro justum* esse : « Quale est enim
« ut præcepta constituat, non exsecuturus ? ut delicta prohi-
« beat, non vindicaturus ? cùm multò rectiùs non prohibuisset
« quod defensurus non esset... Nam et tunc tacitè permissum
« est quod sine ultione prohibetur... Si non offenditur facto
« quod non amat fieri, ergò nec læditur voluntas ejus, cùm
« fit quod fieri noluit : et fit jam delictum secundùm volunta-
« tem ejus. Nihil Deo tàm indignum quàm non exsequi quod
« noluit et prohibuit admitti : primò, quòd qualicumque sen-
« tentiæ suæ et legi debeat vindictam in auctoritatem et ob-

(1) De An., § 33.

« sequii necessitatem; secundò, quia æmulum sit necesse est
« quod noluit admitti, et nolendo prohibuit. Malo autem par-
« cere Deo indignius sit, quàm animadvertere, et quidem Deo
« optimo, qui non aliàs plenè bonus sit, nisi mali æmulus, uti
« boni amorem odio mali exerceat, et boni tutelam expugna-
« tione mali impleat... Audite, peccatores, quique nondùm
« hoc estis, ut esse possitis: Deus melior inventus est, qui
« nec offenditur, nec irascitur, nec ulciscitur;... prohibet de-
« linquere, sed litteris solis... Age itaque, quid non in om-
« nem libidinem ebullis, summum, quod sciam, fructum vitæ
« omnibus qui Deum non timent? Quid non frequentas so-
« lemnes voluptates circi furentis, et caveæ sævientis, et scenæ
« lascivientis? quid non et in persecutionibus, statim oblatâ
« acerrâ, animam negatione lucraris (1)? »

Totus igitur homo, post mortem redivivus, materiam divinæ justitiæ exercendæ præbebit, cui totus debetur: anima per immortalitatem, corpus per resurrectionem: novum omninò et inauditum dogma, ab Evangelio in philosophiam translatum. Quamquam si rem, omissis argutiis, omissâ quam quisque sibi præjudicavit opinionem, diligenter examinemus, facilè consentanea rationi videbitur; quò magis mireris nullum, antè id temporis, fuisse qui hanc veritatem, vel dispicere valeret, vel profiteri auderet. Primùm, is est corporis animique inter se nexus, ut ex utroque unum animal efficiatur, cui nomen hominis convenit, non animæ soli, sine carnis societate mancæ jam et quasi dimidiatæ. Adeòque consortium illud non est præter naturam, ut contrà non sine gravissimâ naturæ offensâ ambæ dissocientur. Si ergò summæ sapientiæ est, quidquid hominis naturæ in terris inchoatæ defuit, in æternitate adimplere, si dignius Deo videtur totum hominem abolere, quàm truncatum et parte suî jam orbum in immortalitatem producere, sequitur ut totus homo reviviscat, nec partem suî, cùm naturâ, tùm diuturno contubernio familiarem, usque re-

(1) Adv. Marc., I, §§ 26-27.

quirat. Dein, finge fortuitam fuisse societatem : per illam tamen actum est quidquid futuram promeretur ætatem : nil enim anima sine carnis ministerio gessit : eaque est justitia divina ut in honestè, vel turpiter factorum instrumenta, præmii aliquid vel supplicii redundet. Hanc quoque imitati sumus : quis enim famosi cujusdam latronis vel proditoris ædes solo æquari indignetur? quisve clarissimæ virginis, per quam Gallia se salvam gloriatur, verba non probet, cùm, templum ingrediens in quo rex consecrandus erat ipsius beneficio restitutus, signumque suum gerens, britannici triumphi instrumentum et testem : *Particeps*, inquit, *hoc habui laborum ; æquum est et in decoris partem vocetur*. « Vita enim est causa judicii, « per tot substantias dispungenda, per quot functa est. Age « jam, scindant carnis animæque contextum priùs in vitæ « administratione, ut audeant scindere illum etiam in vitæ re- « muneratione... Sed adeò non sola anima transigit vitam, ut « nec cogitatus, licet solos, licet non ad effectum per carnem « deductos, auferamus à collegio carnis... Sive enim in corde, « sive in cerebro,... vel ubi ubi philosophis placet, principa- « litas sensuum consecrata est, caro erit omne animæ cogita- « torium... Quære adhùc an cogitatus quoque per carnem « administrentur, qui per carnem dignoscuntur intrinsecùs. « Volutet aliquid anima, vultus operatur indicium : facies in- « tentionum omnium speculum est. Negent factorum societa- « tem, cui negare non possunt cogitatorum (1). »

Nil horum, quamquam satis in promptu erant, antiqui philosophi animadverterunt : contrà, si illos excipias qui in voluptatis doctrinam se dedêre præcipites, cæteri, et ante omnes Plato, corporis cum animâ societatem, violentam, et pœnalem, et præter naturam esse crediderunt, veramque hominis vitam tùm demùm inchoandam, cùm, his elapsa vinculis, substantiæ suæ solitudinem recuperaverit, quippè semper virtuti, prudentiæ, omnibus bonis, corpus impedimento esse. —

(1) De Resurr. carn., § 15.

Causa hujusce erroris ignorata præsens hominis conditio. Si enim caro animæ carcer, si corpus sibi obsequentes in pessima rapit, si maxima laus sensibus obsistere et βίον ἀσώματον ἐν τῷ σώματι agere, si caro animo dominari aggreditur, animus verò se carni præbet obsequentissimum, non hæc prisca utriusque natura arbitranda est, sed naturæ eversio, manifestumque indicium totam hominum sobolem antiquâ clade esse involutam et avitâ labe infectam. Non igitur ipsam carnem, quasi à malo quodam Deo fabricatam, neque ipsum animæ cum illâ consortium vituperare decet, quod, divinâ sapientiâ formatum, vitioque hominis deformatum, per gratiam potest reformari. Rhetoris est, non philosophi, in convicium carnis abire « immundæ à primordio ex fæcibus terræ, immundioris deinceps ex seminis sui limo, frivolæ, infirmæ, criminosæ et « molestæ, et post totum ignobilitatis elogium, caducæ in « originem terram et cadaveris nomen, et de isto quoque nomine perituræ in nullum jàm nomen, in omnis jàm vocabuli « mortem (1). » Facillimè enim et optimè « vituperationem « laudatione depellas. » Caro Dei res est, qui eam aut effici passus est (secundùm paucos hæreticos) aut fecit, secundùm acceptam pluribus veritatem. « Humanam verò carnem, non, « sicut cætera quorum transiturus est habitus, sermone tantùm Deus condidit: adhibuit etiam manus. Satis gloriosa « caro Dei contactu: appellatione gloriosior, quam, nondùm « immissâ animâ, hominem nuncupat. Christus nimirùm « jam tunc cogitabatur homo futurus; limusque ille jam « tunc induens imaginem Christi futuri in carne, non tantùm « Dei opus erat, sed etiam pignus. Noli igitur materiæ vilita- « tem perstringere: cogita artificis manus, Phidiâ majoris, « qui carnis aurum de limi sordibus eliquavit. Obliteratus est « et devoratus limus in carnem, cùm factus est homo in ani-

(1) De Resurr. carn., § 4. Hæc verba celeberrimum Bossuetii locum nemini in mentem non revocabunt, qui, sententiam Tertulliani interpretando æquare non valens, imitando ferè superavit.

« mam vivam, de Dei flatu, vapore scilicet idoneo torrere « quodam modo limum in aliam qualitatem. » Si gemmas electissimo insertas auro, perfectisque gladiis vaginæ adæquas qualitatem, dignum fuit Deo animæ suæ umbram, spiritûs sui auram vilissimo alicui committere capulo? Tanta quoque utriusque substantiæ concretio facta est, ut incertum sit utra utri dominetur, nisi anima primas obtinere censenda sit, ut pote Deo propior : undè etiam ingens carni gloria redundat, quæ proximam Deo contineat, illique omnia subjiciat, necessarium præstans ministerium : siquidem nullum animæ officium non per carnem adimpletur, quæ sensuum, loquelæ, artium, dominatrici suæ præbet facultatem : ità caro consors et cohæres animæ invenitur : si temporalium, cur non et æternorum? — Ut ad nostra transeamus, « cùm anima Deo « adlegitur, ipsa (caro) est quæ efficit ut anima adlegi possit. « Scilicet caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro corpore « et sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur. « Sacrificia Deo grata, conflictationes animæ, jejunia, et ad- « pendices hujus officii sordes, caro de proprio suo incom- « modo instaurat. Virginitas quoque et viduitas, et modesta « in occulto matrimonii dissimulatio, et una notitia ejus, de « carnis bonis Deo adolentur. Age jam, quid de eâ sentis, « cùm pro nominis fide ipsa in carceribus maceratur, teter- « rimo lucis exilio, penuriâ mundi, squalore, pædore, ne « somno quidem libera; quum jàm, et in luce, omni tormen- « mentorum machinatione laniatur, quum denique suppliciis « erogatur, enisa reddere Christo vicem, moriendo pro ipso, « et quidem per eamdem crucem sæpè? Igitur, quam Deus « manibus suis ad imaginem Dei struxit, quam de suo adflatu « ad similitudinem suæ vivacitatis animavit, quam incolatui, « fructui, dominatui totius suæ operationis præposuit, quam « sacramentis suis disciplinisque vestivit, cujus munditias « amat, cujus castigationes probat, cujus passiones sibi ad- « preciat, hæccine non resurget, totiès Dei? Absit, absit, ut « Deus manuum suarum operam, ingenii sui curam, adflatûs

« sui vaginam, molitionis suæ reginam, liberalitatis suæ hæ-
« redem, religionis suæ sacerdotem, testimonii sui militem,
« Christi sui sororem, in æternum destituat interitum (1)! »

Hactenùs de hominis naturâ, origine, fine, exitu. Verùm, ut Septimius quas sibi sumpserat partes, enubilandæ per adul terarum sententiarum confutationem veritatis, adimpleat, pergit in minutiora quædam inquirere, et de iis quæ dicuntur *animi partibus* seu facultatibus, disputare, non novam allaturus partiendi rationem, sed, si quid erroris in aliquo philosophiæ angulo latitet, foràs protrusurus.

1° Omnes ferè philosophi in mali quæstione hæserunt, quæ, cæteris in rebus difficilis, in humanâ animâ planè inextricabilis videtur. Illa Platonem ut præexistentiam animarum somniaretur impulit: illa vim materiæ bono æmulam induxit. Illa, nostris temporibus, multos Evangelii lucem respuentes in monstra quædam doctrinarum adegit, dum malum nobis inesse negatur, transferturque culpa à legum violatoribus ad ipsum quem violant reipublicæ ordinem; quippè omnes naturæ nostræ impetus innocuos esse et ad optimum finem tendere, modò illis immittantur habenæ; nunc verò, præter jus fasque à legum latoribus compressos, in violenta erumpere; quòd si ingenitam effulgere illorum innocentiam velis, mutandam civitatum formam, et solvenda quibus exacerbantur frena. Nec habes quod ad hæc respondeas, si non sis Christianus. Alterutrum enim seligas necesse est: aut, mala illa esse negans in quæ naturali instinctu rapimur, istis rerum novarum auctoribus assentiri seriùs ociùs cogeris: aut, corruptum aliquid et irrationale hominum animis ab ipsis natalibus inesse agnoscens, id præter naturam accidisse fateberis, Mosique credes veterem hanc humani generis luem et *rerum lacrymas* enarranti. Nec quidquam prodest libertatem cujusque in causam vocare, cùm non id ambigatur, undè fiat ut homo delinquendi sit capax, interdùmque delinquat, sed undè proce-

(1) De Resurrect. carn., §§ 8-9.

dat illa vis intima quæ, divinis humanisque legibus infensa, libertati struit insidias, totamque animam, heu! nimis efficaciter, in prava sollicitat. Undè tanta cura in informandis adolescentuli moribus suscipienda, dein ab ipso, ubi sui juris effectus est, exercenda, nec ulli umquàm sinè gravissimo periculo neglecta? undè ipsi virtuti nomen indictum est durissimum homini prænuntians certamen? undè illa jam trita sermone proverbia: *calcatis utilitatibus ad cœlum perveniri, difficillimam esse suî ipsius victoriam?* undè hæc et alia, quæ referre longum, si natura humana suâ sponte, leni facilique cursu, ad finem exoptatum, ut fluvius ad mare, pervenit? In lubrico nascimur, naturaleque nos pondus præcipiti clivo in perniciem rapit: nec animam navi comparaverim omnibus velis faventes auras excipienti, placidaque veloci cursu æquora radenti, dùm remi jacent, dùm nautæ dormiunt, vigilatque solus gubernator, ne cui fortè scopulo incauta offendat, sed illi quam, nostrâ ætate, humana novis viribus muniit industria, ut, furente procellâ, ventis renitentibus, moles aquarum secare, et portum contingere valeat. Quamquàm in hoc comparatio claudicat, et nostra conditio pejor est quàm navis fluctibus jactatæ, quòd nostras hiemes, nostrosque aquilones intùs habemus (1).

Est igitur quasi duplex in nobis homo, nec Plato erravit, cùm irrationale à rationali in animâ sejunxit, « modò non na-« turæ deputetur utrumque. Naturâ enim rationale credendum « est quod animæ à primordio sit ingenitum, à rationali vide-« licet auctore. Quid enim non rationale, quod Deus jussu « quoque ediderit, nedum id quod propriè adflatu suo emise-« rit? Irrationale autem posterius intelligendum est, quod « acciderit ex instinctu serpentis, ipsum illud transgressionis « admissum, atque exindè inoleverit et coadoleverit in animâ « ad instar jam naturalitatis; quia statim in naturæ primordio « accidit (2). » Ne tamen ideò credas nil jàm in homine nisi

(1) Vide *Confér. du P. Lacordaire,* vol. III, p. 573.

(2) De An., § 16.

perversum cæcumque superesse : « Quod enim à Deo est, non « tàm extinguitur quàm obumbratur. Potest enim obumbrari, « quia non est Deus : extingui non potest, quia à Deo est. « Itaque, sicut lumen, aliquo obstaculo impéditum, manet, « ità et bonum in animâ à malo oppressum, pro qualitate « ejus, aut in totum vacat, occultatâ luce, aut quà datur ra- « diat, inventâ libertate (1). »

2° Altera oritur de *animi* naturâ quæstio, quem Aristoteles ab *animâ* separat, ut impassibilem à passibili, immobilem à mobili, duplici errore laborans : primò, quòd humanum animum divino æquat; dein, quòd hanc optimam nostrî partem ad otium et quemdam stuporem damnat. Pugnantia inter se philosopho objicere videmur, quòd humano animo simul divinitatem tribuerit, et vim agendi ademerit. Verùm, ut breviter summam ejus doctrinæ recolligam, revocentur in mentem argumenta per quæ Aristoteles existere aliquem immotum mundi motorem confirmat, qui tamen hunc mundi nesciat ordinem, nec aliter universalem motum operetur, quàm magnes ferrum, appetibile appetitum attrahit. Porrò eâdem viâ ad νοῦν humanum idem Aristoteles pervenit, ità ut quidquid in metaphysicâ de altero prædicavit, idem in περί Ψυχῆς libro de altero dicere videatur. Hunc igitur animum, qui, impassibilis et animæ incommiscibilis in homine degens, nil nobis affert ad vivendum subsidii, meritò carpit Septimius : « Cùm ani- « mam passibilem constet eorum quæ sortita est pati; aut « per animum et cum animo patietur : si concreta est animo, « non potest animus impassibilis induci : — aut si non per « animum, nec cum animo patietur anima, non erit concreta « illi cum quo nihil et qui nihil patitur, nec jam sentiet, nec « sapiet, nec movebitur per illum... Videmus autem nil ho- « rum animam experiri, ut non et animo deputetur, quia per « illum et cum illo transigatur. Cæterùm, si discretio admitti- « tur, ut substantiæ duæ res sint, animus atque anima, alte-

(1) De An., § 41.

« rius erit passio et sensus, et sapor omnis, et actus et motus :
« alterius autem otium, et quies, et stupor, et nulla jam causa;
« et aut animus vacabit aut anima... Nos autem animum ità
« dicimus animæ concretum, non ut substantiâ alium, sed ut
« substantiæ officium. Nec illum aliud intelligimus quàm sug-
« gestum animæ ingenitum, et insitum, et nativitùs proprium,
« quo agit, quo sapit, quem secum habens ex semetipsâ, se
« commoveat in semetipsâ, atque ità moveri videatur ab illo
« tanquam substantia alia (1). »

Nil his in verbis etiam hodiernæ scrupulositati non probandum. Æquè in illis quæ sequuntur medium tenet iter inter eos qui sensum ab intellectu, ut substantiam à substantiâ, separant, et eos qui, sublato utriusque discrimine, totam humani animi notitiam corporibus terminant : « Ad differentiam
« sensualium et intellectualium, non aliud admittimus, quàm
« rerum diversitates : corporalium et spiritalium, visibilium et
« invisibilium, publicatarum et arcanarum, quòd illæ sensui,
« istæ intellectui adtribuantur; apud animam tamen et istis et
« illis obsequio deputatis, quæ perindè per corpus corporalia
« sentiat, quemadmodum per animum incorporalia intelligat,
« *salvo eo ut etiam sentiat dùm intelligit* (2). » Nec illud etiam ultimum réprehenderim, si secundùm veritatis normam verborum interpretari significationem liceat ; ea est enim mentis humanæ conditio, ut in veritatum vel maximè incorporalium contemplatione aliqua semper adsit sensibilis species. Ità mathematico, circuli aut trianguli proprietates ratione non sensibus exquirenti, necesse est aut oculis obversetur, aut in φαντασίᾳ repræsentetur quædam figura imperfectè delineata, cùm tamen acies contemplationis non in eam dirigatur quæ et individua est, et rudis, et corporea, sed in perfectam, et æternam, et incorpoream, et omnibus ejusdem vocabuli figuris congruentem ἰδέαν. Ità, quamquam illud fortè παράδοξον videatur, nec

(1) De An., § 12.
(2) *Id. ib.*

Dei contemplatio (si extaticæ excipiantur visiones), sine quâdam seu rerum imagine, seu verborum saltem tacitâ pronuntiatione (quæ ad sensus referri perspicuum est), his in terris procedit. — Verùm hanc esse Septimii sententiam affirmare non ausim; quam valdè incertam et quasi nutantem invenio. Quippè manifestissimum notissimumque intellectûs sensûsque discrimen, quo uno efficitur ut tantoperè cæteris animalibus præstemus, quodque ipse modò agnoscebat et elucidabat, nunc prorsùs tollere videtur: « Nonne, ait, et sentire intelligere est, « et intelligere sentire est? Aut quid erit sensus, nisi ejus rei « quæ sentitur intellectus? quid intellectus, nisi ejus rei quæ « intelligitur sensus? Undè ista tormenta cruciandæ simpli- « citatis, et suspendendæ veritatis? Quis mihi exhibebit sen- « sum non intelligentem quod sentit, aut intellectum non » sentientem quod intelligit, ut probet alterum sine altero « posse (1)? » — Verùm adeò inter se diversi sunt, ut omnium, etiam Septimii, in mente quæstio oriatur, uter utri præferendus sit; si tamen ea quæstio vocanda est. Cùm enim inter singula animæ munera, et præpositas cuique exsequendo vires, proportionem quamdam existere necesse sit, satis absurdum videtur intellectualia sensilibus potiora agnoscere, intellectum verò eodem quo sensus gradu collocare; nam qui sensilia (ut metalla, ut plantas) intellectualibus (ut homini, ut Deo) aut exæquant aut anteponunt, ne refellendi quidem. Aliter tamen Septimius opinatur, qui, aut neutrum altero inferiorem esse, aut sensus primas obtinere hoc argumento defendit: « Etsi potiora sunt quæ intellectu attinguntur, ut « spiritalia, quàm quæ sensu, ut corporalia, rerum erit præ- « latio, scilicet sublimiorum adversùs infirmiores, non intel- « lectûs adversùs sensum. Quomodò enim præferatur sensui « intellectus, à quo informatur ad cognitionem veritatum? Si « enim veritates per imagines adprehenduntur, id est, invisi- « bilia per visibilia noscuntur, videtur intellectus duce uti

(1) De An., § 18.

« sensu, et auctore, et principali fundamento, nec sine illo « veritates posse contingi : quomodò ergò potior erit eo per « quem est, quo eget, cui debet totum quod attingit? Ità con- « cluditur, non præferendum sensui intellectum : per quem « enim quid constat, inferius ipso est (1). » Verùm utilitas hic, non nobilitas sensuum ostenditur; quæ duo non semper inter se conveniunt. Multiplicibus enim in rebus, omnia ferè omnibus sunt necessaria, neque tamen omnium una eademque dignitas. Nil imperator sine milite, nil miles sine imperatore valent : neque tamen imperator militi non præferendus.

Adscribatur ergò duplex Septimio error, quòd neque sensum ab intellectu satis discreverit, neque hujus principatum satis agnoverit. Prioris peccati causam suprà notavimus, in quod incidit dùm ab Aristotelis animo separato abhorret. Quod ad posterius spectat, non arbitror Septimium sensus in id fastigium evecturum fuisse, ni causam illorum sibi adversùs totam Academiam, suscipiendam esse vidisset, quæ, à contemptu sensilium ad incredulitatem facilè delapsa, fidei nostræ fundamenta labefactat. Hanc ergò de tot adversariis seligit, cui potissimùm congrediatur : « Quid agis, Academia « procacissima? totum vitæ statum evertis, ipsius Dei provi- « dentiam excæcas, qui cunctis operibus suis intelligendis, « incolendis, dispensandis, fruendisque, fallaces et mendaces « dominos præfecerit sensus... Non licet, non licet nobis eos « in dubium devocare, ne et in Christo de fide illorum delibe- « retur... Fidelis fuit et visus et auditus in monte : fidelis et « gustus vini illius, licet aquæ antè, in nuptiis Galilææ : fide- « lis et tactus, exindè creduli Thomæ (2). » Denique cùm apostoli ea se prædicare profitentur « quæ oculis suis vide- « runt, et manibus suis contrectaverunt de verbo vitæ, » certè fidis, non mendacibus illos uti testibus credendum est. Ea fuit Septimio causa ut in errores vulgò sensibus referri

(1) De An., § 19.
(2) *Id.*, § 17.

solitos diligentiùs inquireret, optimè perspiciens, si (quod vulgò creditur) sensus quisque, etiam intrà provinciæ suæ terminos inclusus, in his errasse convincatur quæ ab illo docemur, si in his decipiamur quæ certissiminâ scientiâ nosse nobis videmur, nullam veri à falso in aliis secernendi jàm superesse rationem; omnium enim *facultatum* quarum testimonio certi de aliquâ re efficimur, sensûs, rationis, memoriæ, eamdem esse conditionem, uniusque ruinâ cæterarum statim adduci ruinam; quippè nullam aliam ob causam illarum voci fidem adhiberi, nisi quòd conscii simus vera et certa à singulis renuntiari; igitur hanc conscientiam, si mendax semel comprobata fuerit, nullo posteà jure veracem aliis in rebus defendi. Suscepit ergò Misologus noster partes mentis humanæ adversùs scepticos, philosophiæ alumnos, tuendas, cujus auctoritatem, sensibus eversis, nullo modo stare posse cernebat: cùmque ibi duæ præsertim defensiones pro sensibus fallaciæ reis occurrant, aut causam erroris in ipsis non esse, aut hunc, qui dicitur, errorem, veritatis nomine, si diligenter rem intuearis, digniorem reperiri, utrâque Septimius scitè usus est: « Optimè proponetur esse utique aliquid quod efficiat aliter « quid à sensibus renuntiari quàm sit in rebus... Nam ut in « aquâ remus inflexus vel infractus appareat, aqua in causâ « est. Denique extrà aquam integer visui remus. Item ut tur- « ris habitus eludat, intervalli conditio compellit: æqualitas « enim circumfusi aeris, pari luce vestiens angulos, obliterat « lineas. Sic et uniformitas porticûs acuitur in fine, dum « acies in concluso stipata, illic tenuatur quò et extenditur. « Sic et cœlum mari unitur, ubi visio absumitur, quæ quam- « diù viget, tamdiù dividit. Auditum verò quid aliud decipiet, « quàm sonorum similitudo?... Igitur hoc modò nulla sensuum « frustratio causâ carebit.... Imò jam ne ipsis causis ad- « scribendum est fallaciæ elogium. Si enim ratione hæc acci- « dunt, ratio fallacia perhiberi non meretur. Quod sic fieri « oportet, mendacium non est. Itaque, si et ipsæ causæ in- « famiâ liberantur, quantò magis sensus, quibus jàm et causæ

« præeunt! cùm hinc potissimùm et veritas, et fides, et in-
« tegritas sensibus vindicanda sit, quòd non aliter renuntient
« quàm quod illa ratio mandavit, quæ efficiat aliter quid à sen-
« sibus renuntiari quàm sit in rebus (1). »

Hæc nobis dignissima visa sunt, quæ variis ex Septimii locis excerpta, in unum colligerentur, tùm ut, quasi latentem ejus in scriptis philosophiam proferentes, hanc quoque tanti ingenii partem illustraremus, tùm, etiamque magis, ut hoc exemplo cerneretur quid novi luminis tantis quæstionibus Christiana religio circumfuderit. Nec inutile forsan fuerit aut injucundum, in christianæ philosophiæ initia diligenter inquisivisse, quæ, à Septimianâ ætate profecta, toties exindè, sub variis nominibus, per splendidissima ingenia pulcherrimasque doctrinas floruit; per Septimium, se à veterum disciplinarum servitio eximens; per D. Augustinum, veritatis particulas, tanquam rem suam, ab illis repetens; per D. Thomam, in certum doctrinæ corpus redacta; denique per Bossuetium, in summum humanæ perfectionis evecta fastigium.

(1) De An., § 17.

CAPUT V.

SEPTIMIUS CATHOLICÆ FIDEI ADVERSUS HÆRETICOS PROPUGNATOR.

Fusâ externorum hostium acie, restabat altera pestis, Ecclesiæ lateri ab ipsis natalibus adhærens, alterumque bellum, ut occultius, ità magis perpetuum, majoribusque plenum periculis, cum hæreticis gerendum. Quamvis enim persecutionum fragor primis Ecclesiæ temporibus omnia compleat, auferatque facultatem his quæ intùs gerebantur attendendi, non etiam tùm defuerunt qui exagitatæ semianimisque matris viscera lacerarent; neque, si tumultus Arianus superiorum seditionum famam extinxit, ideò ager christianus uberem infelicis lolii messem tribus jam anteà sæculis non tulerat. Longum est omnes enumerare civilium armorum àuctores, longius quales cuique novitates placuerint enarrare, aut per quæ argumenta singulis à Nostro obviàm itum sit. Adde quòd in theologiam incurrere neque nostri propositi est, neque nostri juris arbitramur. Attamen, quoniam nullâ in re Septimius non de suâ tantùm, sed de omnibus ætatibus melius meritus est, summatim videtur exponendum, tùm quas habeant difficultates inita adversùs hæreticos certamina, tùm quid universis Septimius opposuerit, et quas rationes decidendæ omnis cum eis controversiæ posteris legaverit.

Id habent proprium hæreses, quòd ex ipso fonte veritatis

venena hauriunt, quòdque, Christum et Evangelium præ se ferentes, Evangelii et Christi parant eversionem. Non modò enim unum aut alterum inducunt errorem (quamquam id quoque divinis in rebus vix erat ferendum); sed animos quoque à simplicitate fidei ad *infinitas*, quas Apostolus vocat, *quæstiones*, ab auctoritate ad licentiam, à parendo ad rebellandum provocant. Tota ergò vis religionis tollitur, quæ in eo sita est ut credatur, non ut disputetur; Christianismumque habemus sectæ cujusdam philosophicæ similem, cui usque adeò adhærebitur donec eluceat aliquid melius. Indè, numquam in hæresi conquiescitur, utque à Platone Aristoteles, ità ab initiatore vel corruptore suo plerique hæreticorum deficiunt, novaque instituunt conventicula. Indè, in pulverem secatur integritas Evangelii, inconsutilemque Christi vestem carnifices veritatis inter se dividunt.

Nemo igitur miretur vehementiùs in hæreticos quàm in persecutores, acerbiùsque in doctrinæ quàm in morum corruptores, invectos fuisse antiquæ Ecclesiæ Patres. Hanc nempè perspexerant esse gravissimam et quasi propriam Ecclesiæ pestem. Sæviant in Christianos magistratus: aut tonsæ arbori novæ vires addentur; aut veritas, ab aliquâ regione exclusa, aliud sibi liberiusque spatium inveniet. Langueant mores: ipsa verò lex perstat per quam delicta vetantur: peccantiumque oculis obversantur faces quæ, recta nesciri, dùm prava admittuntur, non sinentes, aut pœnitendi demonstrant viam, aut venturam ultionem denuntiant. At hæresis ipsos doctrinæ nervos, servato veritatis nomine, præcidens, librum legis lacerat, aut interpretando corrumpit, resipiscendi præcludit aditum, concordiæ solvit vincula, et, inductâ quidvis sentiendi libertate, viam aperit ad quidvis agendi licentiam.

Quònam igitur veritas ab hæreticis vexata se vertet? Fidesne, ratione armata, in arenam descendet? Id quidem tentari potest, et feliciter, cùm à multis, tùm à Nostro adversùs complures tentatum est, ut adversùs Hermogenem, adversùs Marcionem. Si enim plurima sunt veræ philosophiæ cum verâ

religione communia, haud pauca necesse est in hæresibus invenias, quæ, rationem lædentia, opportunè per ipsam rationem expugnari possint. Sed, cùm multa apud christianam disciplinam omnem humani intellectûs captum excedant, et auctoritate nitantur, non argumentis, sequitur altissima quæque nostræ fidei mysteria ab iis quæ hæretici objiciunt nullo pacto per hanc disputandi formam vindicari posse. Aliòquin, si eò adducamur ut de singulis doctrinæ nostræ partibus disputari sinamus, quis non videat in idem nos incidere vitium quod hæreticis modò exprobratum est, omnibusque exindè præberi facultatem Evangelii partim retinendi, partim excludendi, quod in integrum rejici aut approbari decuit?

Ergò principia disputandi, si ratio conticescat, Scripturæ afferent, de quibus inter omnes christiani nominis sectas convenit? Ità non humana ratio, sed Deus ipse loquetur, omnibusque controversiis hic imponetur finis, experiri quid divina oracula pronunciarint. Ne id quidem nostri intentatum reliquerunt: nec mirum si tenebras multorum mentibus offusas sacræ chartæ, summorum virorum eruditione et auctoritate expositæ, fugaverunt. Verùmtamen, si attentè perpendas quæ sit humani ingenii natura, quo genere dicendi divinorum librorum scriptores usi sint, minimè miraberis ex singulis illorum sententiis innumeras extitisse quæstiones, pluresque controversias hâc ratione motas quàm sedatas. Omnes enim, ingenitâ quâdam contumaciâ, veritatem ad nostram sententiam quàm nostram sententiam ad veritatem accommodare malumus: nec ullus dari potest tàm lucidus sermo qui à manifesto obvioque sensu, brevissimo tempore, pro cujusque libitu non detorqueatur, ni fortè vivens et perennis auctoritas adsit, quæ ab inermi chartâ omnes continuò contumelias arceat. Quid fore censes, si libri in testimonium vocentur ab auctoribus, tempore, ingenio diversis conscripti, quorum alii res gestas enarrant, alii ventura canunt, alii divina mysteria per allegorias partim retegunt, partim velant, alii, poëtico quasi rapti afflatu, in insolitos dicendi modos evehuntur? Non

enim, si Spiritus Sanctus per hominum vocem veritates pandit in penetralibus divinæ mentis anteà inclusas, proprium cuique ingenium, propriumque dicendi colorem adimit. « Nihil ergò proficit congressio Scripturarum, nisi planè ut stomachi quis ineat eversionem ant cerebri. Ista hæresis non « recipit quasdam Scripturas : et, si quas recipit, non recipit « integras ; adjectionibus et detractionibus, ad dispositionem « instituti sui intervertit ; et si aliquatenùs integras præstat, « nihilominùs, diversas interpretationes commentata, convertit. Tantùm veritati obstrepit adulter sensus, quantùm et « corruptor stylus. Variæ præsumptiones : necessariò nolunt « agnoscere ea per quæ revincuntur. His nituntur quæ ex « falso composuerunt, et quæ de ambiguitate ceperunt. Quid « promovebis, exercitatissime Scripturarum, cùm, si quid « defenderis, negetur ; ex diverso, si quid negaveris, defendatur ? Et tu quidem nihil perdes nisi vocem in contentione : « nihil consequeris nisi bilem de blasphematione. Ille verò, si « quis est, cujus causâ in congressionem descendis Scripturarum, ut eum dubitantem confirmes, ad veritatem an magis « ad hæreses deverget ? hoc ipso motus quòd te videat nihil « promovisse, æquo gradu negandi et defendendi, adversâ « parte statu certè pari, altercatione incertior discedet, nesciens quam hæresim judicet. Hæc utique et ipsi habent in « nos retorquere. Necesse est enim et illos dicere à nobis « potiùs adulteria scripturarum et expositionum mendacia « inferri, qui proindè sibi vindicant veritatem. Ergò non ad « Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut par « incertæ (1). »

Ergò, si de rebus ipsis disputare nefas, si longa est et incerta per Scripturas via, maximæ illi grates debebuntur, quisquis expeditam securamque invenerit rationem, per quam, vitatis controversiarum periculis, omnes simul hæretici re-

(1) De Præscript. hæret., 17-18.

vincantur. Hanc legitimam principalemque perpetui cum dissentientibus certaminis formam Septimius instituit, optimas opponens novarum rerum auctoribus exceptiones: quas jam referemus.

Si fides ex auditu, id est ex auctoritate, non ex investigatione, procedit, si divina veritas docetur, non argumentis comprobatur, si aliquem existere necesse est divini sermonis interpretem, à quo ad neminem provocare liceat, nil priùs curandum est quàm ut sciamus cujusnam Scripturæ sint possessio, cuinam docere, cuinam interpretari competat. Nec illud scire difficile est, modò venerit in mentem quâ ratione evangelica doctrina se paulatim, à Christo profecta, propagaverit, et in novas, nostris etiam temporibus, serpat regiones: « Christus, Dominus noster, quid esset, quid fuisset, quam « patris voluntatem administraret, quid homini agendum de« terminaret, quamdiù in terris agebat, ipse pronunciabat, « sive populo palàm, sive discentibus seorsùm ;... ex quibus « duodecim præcipuè lateri suo adlegerat,... quos jussit ire « et docere nationes. Statim igitur apostoli, primò per Ju« dæam contestatâ veritate et Ecclesiis institutis, dehinc in « orbem profecti, eamdem doctrinam ejusdem fidei nationi« bus promulgaverunt; et proindè Ecclesias apud unamquam« que civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei et se« mina doctrinæ cæteræ exindè Ecclesiæ mutuatæ sunt, et « quotidiè mutuantur, ut Ecclesiæ fiant; ac per hoc et ipsæ « Apostolicæ deputantur, ut soboles apostolicarum Ecclesia« rum. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab apostolis « prima, ex quâ omnes... Hinc igitur dirigimus præscriptio« nem: si Dominus Jesus Christus apostolos misit ad prædi« candum, alios non esse recipiendos prædicatores quàm « quos Christus instituit; quia nec Patrem alius novit nisi « Filius, nec aliis videtur revelasse Filius quàm apostolis, quos « misit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. Quid au« tem prædicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, et « hic præscribam non aliter probari oportere, nisi per eas-

« dem Ecclesias quas ipsi apostoli condiderunt, ipsi eis præ-
« dicando, tàm vivâ, quod aiunt, voce, quàm per epistolas
« posteà. Si hæc ità sunt, constat proindè omnem doctrinam
« quæ cum illis Ecclesiis apostolicis, matricibus et originali-
« bus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenen-
« tem quod Ecclesiæ ab apostolis, apostoli à Christo, Chris-
« tus à Deo accepit; omnem verò doctrinam de mendacio
« præjudicandam, quæ sapiat contrà veritatem Ecclesiarum,
« et apostolorum, et Christi, et Dei (1).

« Age nunc, omnes erraverint... nullam respexerit Spiri-
« tus Sanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus
« à Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veri-
« tatis: neglexerit officium Dei vicarius, Christi villicus, si-
« nens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod
« ipse per apostolos prædicabat: ecquid verisimile est ut tot
« ac tantæ in unam fidem erraverint?... Quod apud multos
« unum invenitur non est erratum, sed traditum. Audeat
« ergò aliquis dicere illos errasse qui tradiderunt (2), » apos-
tolos nempè, dùm docent quæ à Christo edocti sunt,
Christum, dùm Patris revelat secreta.

Una est igitur Ecclesia, cui competit interpretatio Scripturarum, illam dico, quæ, variis membris constans inter se connexis, originis suæ profert documenta, traditorumque sibi ab apostolis librorum perpetuam legitimamque possessionem vindicat. Idem ab hæreticis postulat Septimius :
« Edant origines Ecclesiarum suarum; evolvant ordinem
« episcoporum suorum, ità per successiones ab initio decur-
« rentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel
« apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit,
« habuerit auctorem et antecessorem (3). » Tunc nostra præscriptio jacebit inutilis, et ad alia, si qua sint, argumenta

(1) De Præscript. hæret., § 20.
(2) *Ib.*, § 28.
(3) *Ib.*, § 32.

confugiemus. Sed talem genealogiam hæreticæ Ecclesiæ neque habent, neque fingere audent : « Non se apostolicas probare « possunt, quòd non sunt ; nec recipiuntur in pacem et com- « municationem ab Ecclesiis quoquomodò apostolicis (1). » Si quæ hæreses sub apostolis fuerunt (nec fuisse dubitandum), hoc titulo apostolicæ erunt quòd ab apostolis non traditæ, sed notatæ et damnatæ fuerunt. Cæteras *de posteritate* præjudicare licet : quippè cùm cujusque auctor noscatur, pateatque quibus de causis, quo tempore, quo loco ab Ecclesiâ jàm Scripturas tenente, jàm fidem docente, defecerit. « Prin- « cipalitatem veritatis, et posteritatem mendacitatis docet pa- « rabola quæ bonum semen frumenti à Domino seminatum « in primore constituit, avenarum autem, sterilis feni, adul- « terium ab inimico diabolo posteà superducit.... (2) Tamdiù « utique regnavit error, quamdiù hæreses non erant. Aliquos « Marcionitas et Valentinianos liberanda veritas expectabat : « intereà perperàm evangelizabatur, perperàm credebatur, « tot millia millium perperàm tincta, tot opera fidei perpe- « ràm administrata, tot martyria perperàm coronata : aut si « non perperàm, neque in vacuum, quale est ut antè res Dei « currerent, quàm cujus Dei notum esset ? antè Christiani, « quàm Christus inventus ? antè hæresis, quàm vera doc- « trina ? Sed enim in omnibus veritas imaginem antecedit : « post rem similitudo succedit.... (3) Constat igitur ratio « propositi nostri, non esse admittendos hæreticos ad ineun- « dam de Scripturis provocationem, quos sine Scripturis pro- « bamus ad Scripturas non pertinere. Si enim hæretici sunt, « Christiani esse non possunt ;... nec ullum jus capiunt chris- « tianarum litterarum ; ad quos meritò dicendum est : Qui « estis ? quandò aut undè venistis ? quid in meo agitis, non « mei ? quo denique, Marcion, jure sylvam meam cædis ? quâ

(1) De Præscript., § 32.
(2) *Ib.*, § 31.
(3) *Ib.*, § 29.

« licentiâ, Valentine, fontes meos transvertis? quâ potestate, « Apelles, limites meos commoves? mea est possessio, olim « possideo, prior possideo, habeo origines firmas, ab ipsis « auctoribus quorum fuit res: ego sum heres apostolorum: « sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, si- « cut adjuraverunt, itâ teneo: vos certè exheredaverunt et « abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos. Undè autem ex- « tranei et inimici apostolis hæretici, nisi ex diversitate doc- « trinæ, quam unusquisque de suo arbitrio adversùs aposto- « los aut protulit, aut recepit? Illic igitur et Scripturarum et « expositionum adulteratio deputanda est, ùbi diversitas doc- « trinæ invenitur. Quibus fuit propositum aliter docendi, eos « necessitas coegit aliter disponendi instrumenta doctrinæ. « Aliàs enim non potuissent aliter docere, nisi aliter habe- « rent per quæ docerent. Sicut illis non potuisset succedere « corruptela doctrinæ sine corruptelâ instrumentorum ejus, « itâ et nobis integritas doctrinæ non competisset, sine inte- « gritate eorum per quæ doctrina tractatur (1). »

Hæc fuit igitur Septimio nota veritatis, cum Ecclesiis apostolicis communicare, hæc præscriptio erroris, ab iisdem defecisse. Felicia tempora, cùm haud fieri posse videbatur ut Ecclesiæ apostolicæ inter se dissentirent, cùm omnes Ecclesiæ, recentes à Christo et apostolis, novitates multò magis quàm æquuleos horrebant, veterique et originali doctrinæ tantâ curâ invigilabant, ut, diversæ locis, nec inter se, ad conservandam per colloquia fidei unitatem, convenire valentes, idem totum per orbem sonarent, easdem hæreses protruderent foràs! Felicia certè, sed heu! nimis brevia! Ubi nunc Ecclesia Smyrni, ubi Philipporum, ubi Hierosolymarum, ubi tot sedes, pietatis et eloquentiæ laude insignes? Pleræque aut omninò non sunt, aut concordiæ vincula ruperunt, magno Ecclesiæ catholicæ, sed longè majore suo ipsarum detrimento: non enim christianæ veritatis fortuna Corinthi aut Ephesi mœnibus inclusa

(1) Præscript., 37-38.

fuit, neque Ecclesia resectos per schismata artus ità doluit ut, illis amissis, vivendi quoque potestas deficeret, nullaque reparandæ cladis spes superesset.

Quoniam igitur universæ Ecclesiæ, non singulis sedibus, divinum auxilium perpetuaque veritas promissa sunt, fierique potest (quod res ipsa probavit) ut Ecclesiæ etiam apostolicæ in integrum deficiant, regulis à Septimio propositis aliquid videtur addendum. Ad quas enim, compendii causâ, confugit præscriptiones optimæ sunt adversùs hæreticum ab illâ in quâ eruditus est Ecclesiâ se separantem, nec minùs adversùs Lutherum, quàm adversùs Marcionem valent. Vix tamen sufficient, si tota alicujus regionis Ecclesia erroris arguenda sit, si pravam, sed antiquam traditionem (ut, Cypriano florente, in Africâ, de hæreticorum baptismate accidit) pro verâ defendat, Scripturarum legitimam continuamque possessionem jactans, et iis quæ cum ipsâ non consentiunt hæresim objiciens. Quid tunc suspensas mentes in aliquam certam convertet sententiam, quibusve notis veram agnoscemus Ecclesiam, quum utrinque apostolicæ inveniantur Ecclesiæ, totusque in partes abierit orbis?

Duæ ibi expediendæ difficultatis rationes occurrunt. Primùm, ad universam, si fieri potest, referatur Ecclesiam; ipsa ubi sit, et noscet, et docebit. Aut, si loca temporaque obstent quominùs episcopi, jam non, ut quondam, unius imperii finibus contenti, ex omnibus mundi partibus in unam curiam conveniant, aliqua detur principalis Ecclesia cujus doctrinæ consentire catholicum sit, dissentire hæreticum: illæ demum apostolicæ habebuntur Ecclesiæ quæ cum illo capite communicabunt. Sic in corpore humano, ut scias vivantne singula membra, non quæris utrùm pes cum manu, sed utrùm ambo cum capite quasi cum quodam vitæ fonte servent societatem: si ruperint, paralysis est. Diversa his tuendæ unitatis rationibus utilitas: altera maximis in causis erit adhibenda, cùm totus agetur Christianismus, omnesque Ecclesias discordia pervaserit: altera facilior, quotidianisque accommodatior usibus:

utraque ergò de utrâque optimè meretur, quamvis quidam inimicitias inter illas movere conati sint. Ambas semper in Ecclesiâ fuisse complura testimonia probant: jacuisse aliquandiù quis miretur? atque utinam semper jacuissent, ut arma in armamentario, ensis in vaginâ, dùm pax obtinet, quiescunt! Sed neque ensis, cùm adest hostis, tùm primùm cuditur, neque suus Ecclesiam conditor inermem adversùs repentina pericula reliquerat.

Hæc Septimii doctrinam, de Ecclesiâ propter unitatem antiquitatemque ab adulteris posterioribusque disciplinis dignoscendâ, non mutant, sed pleniorem magisque sibi cohærentem efficiunt: quippè ad servandam perennem in credendo concordiam spectant, quam ille, se ipse prædamnans, tanquam optimam veritatis notam iterum iterumque laudavit. Non ulla post illum expeditior firmiorve præscriptio inventa est, per quam à tractatione Scripturarum hæretici prohiberentur: semperque una fuit synodis, una pontificibus cura; ut, quoties res posceret, perpetuam immotamque Ecclesiæ fidem declararent, antiquitatisque murum novarum rerum auctoribus opponerent. Jàm τὸ *quod ubique, quod semper* obtinebat, et optima credendi regula habebatur. Hoc telo Septimius Marcionem, Apellem, Hermogenem, multosque alios profligavit: hoc ipse (ad quod nobis deveniendum dolemus) confessus est.

CAPUT VI.

SEPTIMIUS HÆRETICUS.

Duas ob causas creditur Septimius se in Montani hæresim præcipitem dedisse. Quidam arbitrantur homini semper in nimia et violenta prono, magnam opinionum morumque, quam ista disciplina jactabat, austeritatem placuisse: neque nos negavimus in Nostro, ut sermonis vehementiam stylique asperitatem, ità animum immitiori cuique sententiæ faventem reperiri. Verùm, si nil aliud causæ interfuisset, numquam hæc severitas tantum in eo, meâ quidem sententiâ, valuisset, ut, totius vitæ cursu mutato, in aliena castra transiret, rumperetque, quod ipse toties hæreticis objecerat, apostolicarum ecclesiarum communionem. Quippè illâ, quam memorant, duritiâ, Ecclesiæ fideique unitatem,

> Dùm stabat regno incolumis, regnumque vigebat
> Consiliis,

multò habuit antiquiorem; neque hanc instituerat fidei regulam, ut quisque, quod sibi placuisset, sed quod traditum fuerat, probaret. Adde quòd, illis temporibus, non mollem, et delicatam, et Epicuream disciplinam Christiani sequebantur, sed eam quæ, nostræ ætati nostræque ignaviæ intolerabilis, quantælibet severitati sufficere valeret. Quod non ex infidis conji-

cimus documentis. Ipsa Septimii, jàm hæretici, jàm suis infesti, testimonia invocamus, ipsosque libros quos ideò conscripsit, ut bilem in *psychicos* sive *animales* (sic enim Catholicos appellabat) conceptam effunderet: nil eis objici videbis quod à purissimâ sanctitate morum, nedùm à communi honestate, alienum deprehendatur, multosque, quales describit sui temporis *psychicos*, nostro ostendi sæculo optabis.

Alii, B. Hieronymo auctore, Septimium ferunt, invidiâ cleri Romani exacerbatum, ab unitate descivisse. Quibus haud absum ut assentiam. Numquam enim mihi persuadebo tantum veritatis lumen, sine maximâ totius animi perturbatione, restinctum. Errare enim in uno aut altero omnium est, nec aliam poscit causam quàm ingenitam humano ingenio infirmitatem: paucorum verò, ab ipsâ veritatis regulâ penitùs et in universum deficere, mentemque plenissimâ antehàc luce illustratam, in densissimas delabi tenebras. Quòd si singulorum historiam tecum revolvas, aut voluptate illectos, ut Henricum Anglum, aut superbiâ pertinaci obcæcatos, et alicujus injuriæ opinione exasperatos, ut Lutherum, invenies. Atque utinam non nostra quoque tempora documentum attulissent quantas in magnis mentibus, sed suî plus æquo plenis, superbia clades operetur, ubi illæ, propter aliquam repulsam, sive jure, sive immeritò, acceptam, exarserint!

Ergò ira hominem anteà perspicacissimum eò amentiæ perduxit, non ut argumentando (quod minimè mirarer) deciperetur, sed ut se (quod multò turpius) mulierculis, somnia fabulasque divinorum oraculorum nomine venditantibus, totum et quasi vinctum traderet. Illud enim fuit totius sectæ fundamentum, Montanum, aut ipsum pro Paracleto habendum, aut à Paracleto pleniùs quàm quemquam alium illuminari, item Priscæ et Maximillæ revelationes pro veris accipiendas prophetiis. Cernis quantus novarum rerum proferatur apparatus. Promittitur Spiritus cujus id muneris est ut nos *omnem doceat veritatem*. Ergò quantùm Evangelium antiquæ Mosis disciplinæ, tantùm Evangelio novæ distabunt revelationes: bonaque

spes exoritur Dei ipsius jam non *per speculum et in ænigmate*, sed *a facie ad faciem, sicuti est*, conspiciendi. Nunc, si roges:

Quid dignum tanto ferat hic promissor hiatu?

paucissima, et ea minimi momenti invenies:

1° Fugiendum in persecutione non esse;

2° Non dandum fornicatoribus pœnitendi locum;

3° Secundas nuptias stupri loco habendas;

4° Nova jejunia, Xerophagias, stationes, Catholicæ disciplinæ addenda esse.

Habes totam Montanismi formam: et nunc pronuntia tantine Septimio fuerit veterem laudem, tot partam laboribus, perdere, totamque vitæ antecedentis sententiam respuere.

Utut est, hæc omnia Noster amplexus est, singulaque singulis libris propugnavit. Quos si, animo neutram in sententiam vergente, perlegas, Septimium quidem agnosces, sed mutatum miraberis. Non iidem sunt qui solebant ejus eloquentiæ nervi, pravasque opiniones pejoribus defendit argumentis, ne speciem quidem veritatis præ se ferentibus; ut credas veritatem à desertore suo exigere pœnas, dum illum quasi capite minuit, et proprio cogit ingenio superesse. Quòd si quis « vanè inconsideratèque scandalizetur quòd tantùm hæ« reses valeant, ut ille fidelissimus, prudentissimus, et usita« tissimus in Ecclesià in illam partem transierit (1), » ipse respondebit Septimius, de se ferens sententiam, « neque pru« dentes, neque fideles, neque usitatos æstimandos, quos hæ« reses potuerint demutare; nec mirum ut probatus aliquis « retrò posteà excidat. Saül bonus præ cæteris; livore posteà « evertitur. David vir bonus secundùm cor Domini; posteà « cædis et stupri reus est. Quid ergò? si episcopus, si diaco« nus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus à

(1) De Prescript. hæret., § 3.

« regulâ fuerit, ideò hæreses veritatem videbuntur obti-« nere (1)? »

Cuperemus de his reticere quæ B. Aurelius tremenda esse, non ridenda docet. Verùm, cùm illud sit summæ sapientiæ proprium ut etiam pessima optimo fini subservire cogantur, haud inutile fuerit tantas contemplari ruinas. Monebimur enim, illas intuentes, non nimis altè sapiendum, nec humanæ umquàm obliviscendum infirmitatis, cùm Septimium neque spectata virtus, neque egregium ingenium à gravissimo vitio, turpissimisque erroribus immunem servaverint: dein veritatem mole suâ stare, nulliusque indigere patrocinio, et eloquentissimis oratoribus, doctissimis philosophis, tanquam clientibus uti, non patronis; qui si ab illâ deficiant, hi quidem toto pondere ruant, ipsa verò inconcussa permaneat.

Attamen non tantum potuit Septimio offundi caliginis ut se sibi minimè consentire non perspiceret: nec defuerunt apud Catholicos qui eum levitatis et apostasiæ arguerent. Quum igitur sæpiùs se purgare aggrederetur, quem, putas, constantissimum habuit adversarium, ineluctabiles pravis subtilitatibus responsiones opponentem? Septimium. Ille, inquam, acerrimus fidei defensor, quocum nulli ex hæreticis gradum conferre impunè licuit, omnia sophismata quibus ad tegendam defectionis infamiam usurus erat et præsensit et nominatim confutavit, ut alterum mihi videar audire cum altero his propè verbis colloquentem.

HÆRETICUS.

« Non admittendos ad pœnitentiam fornicatores censeo, « adversùs psychicos, adversùs meæ sententiæ retrò penes « illos quondam societatem, quò magis hoc mihi in notam « levitatis objectent. At enim me non magis dedecorabit utilis « levitas, quàm ornârit nocens. Non suffundor errore quo

(1) De Præscript, § 3.

« carui, quia caruisse delector : nemo proficiens erubes-
« cit (1). »

CATHOLICUS.

« Unum et certum aliquid institutum est à Christo quod « credere omnimodò debeas, et idcircò quærere, ut possis, « cùm inveneris, credere. Unius porrò et certi instituti infi- « nita inquisitio non potest esse : quærendum est, donec in- « venias, et credendum ubi inveneris : et nihil amplius nisi « custodiendum quod credidisti : dum hoc insuper credas « aliud non esse credendum, ideòque nec requirendum (2). » Cæterùm « ex ipso ordine manifestatur id esse dominicum « et verum, quod sit priùs traditum, id autem extraneum et « falsum, quod sit posteriùs immissum. Ede ergò originem « Ecclesiæ tuæ; evolve ordinem episcoporum tuorum, ut « primus ex illis aliquem apostolum aut apostolicum virum « habuerit auctorem (3). »

HÆRETICUS.

« Quid ad Ecclesiam, et quidem tuam, psychice? Ecclesia « principaliter est Spiritus; atque exindè numerus omnis qui « in veram fidem conspiraverint. Ecclesia ab auctore cense- « tur. Et ideò Ecclesiæ potestatem agnoscimus, sed *Ecclesiæ-* « *Spiritûs* per spiritalem hominem, non *Ecclesiæ-numeri* epis- « coporum (4). »

CATHOLICUS.

« Nos cum apostolicis Ecclesiis communicamus, quæ « suam ab apostolis doctrinam acceperunt, apostoli à Christo, « Christus à Deo. Tu quis es? quandò, aut undè venis? non « à Christo habens quod de tuâ electione sectatus es, Chris- « tianus non es (5). »

(1) De Præscript., § 9.
(2) *Ib.*
(3) *Ib.*, § 31-32.
(4) De Pudicit., § 33.
(5) De Præscript., § 21-37.

HÆRETICUS.

« Ego verò contendo quædam ab apostolis non tradita « fuisse, ipsumque Dominum hâc de re pronuntiasse. Dicens « enim : *Adhùc multa habeo quæ loquar vobis, sed nondum po-« testis portare ea ; quum venerit Spiritus Sanctus, ipse docebit « vos omnem veritatem*, satis utique prætendit ea acturum « illum quæ nova existimari possint, ut numquàm retrò « edita. Paracletus multa habens edocere quæ in illum distu-« lit Dominus, ipsum primò Christum contestabitur qualem « credimus ; et sic, de principali regulâ agnitus, illa multa « quæ sunt disciplinarum revelabit (1). »

CATHOLICUS.

« Scio hæreticos dicere solitos, non omnia apostolos scisse, « Christum reprehensioni subjicientes, qui minùs instructos « apostolos miserit. Quis autem integræ mentis credere potest « aliquid eos ignorasse, quos magistros Dominus dedit, indi-« viduos habens in comitatu, in discipulatu, in convictu, « quibus obscura quæque seorsum disserebat, illis dicens « datum esse cognoscere arcana quæ populo intelligere non « liceret? Latuit aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ petram « dictum, claves regni cœlorum consecutum, et solvendi et « alligandi in cœlis et in terris potestatem? Latuit et Joannem « aliquid dilectissimum Domino, pectori ejus incubantem, « quem loco suo filium Mariæ demonstravit? Quid eos igno-« rasse voluit, quibus etiam gloriam suam exhibuit, et insu-« per de cœlo Patris vocem? Dixerat planè aliquandò : *Multa « habeo adhùc vobis loqui, sed non potestis modò ea sustinere.* « Tamen adjiciens : *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, deducet « vos in omnem veritatem*, ostendit illos nihil ignorasse, quos « omnem veritatem consecuturos per Spiritum veritatis re-« promiserat ; et utique implevit repromissum (2). »

Ne verbum quidem addemus : quis enim et meliùs et ple-

(1) De Monog., § 2.

(2) De Præscript., § 22.

niùs quàm Septimius ipse Septimio respondeat, aut indelebiliorem illi proditæ veritatis notam inurat? Causa ergò finita est; nec diutiùs hisce ruinis immoraremur, ni liberet inquirere quâ disputandi ratione contrà Catholicos utatur, quidve pristinæ secum virtutis in aliena castra tantus perfuga transtulerit. Cernetur interdùm sibi aut omninò falsa, aut certè dubia principia sumens, undè possit quidquid libuerit concludere. Sæpiùs verò de ipsâ quæstione aut nulla aut perpauca disserit, eaque de quibusdam verbis exemplisve Scripturarum, quæ in suam sententiam, valdè renitentia, detorsit. Sed extrà juxtàque quæstionem, aliquid seligit in confesso situm, in quo confirmando se gravissimum et copiosissimum exhibet: deindè in id elaborat, ut inter hanc, quam nemo ambigit, veritatem, et eam, quam insinuare studet, hæresim, nihil interesse persuadeat; cùm intereà non operosum sit dolum hominis, si quis velit, manifestissimum deprehendere. Postremò, ovanti similis, totam rem expeditam esse conclamat, quæ tamen integra permanet. Quidquid enim in his libris præclarè disputatur, nihil ad rem pertinet, et pro nobis facit, et catholicum est, licet adversùs Catholicos dirigatur: quidquid verò ad confirmandam Montani disciplinam spectat, miserè ab illo quem miramur Septimio deficit.

I. Primùm monogamiam defensurus, quùm omnis in eo quæstio versaretur utrùm secundas nuptias tanquam honestas tolerare, an tanquam impudicas proscribere deceret, sic prælium instruxit, in primâ acie adeò vera disponens, ut nemo repugnare aut velit aut possit: Multa à Deo ità permitti, ut alia tamen his præponat; virginitatem nuptiis meliorem et numini acceptiorem esse, eò quòd pleniùs Deo à cœlibe vacetur; semper adulterium, repudium verò in novâ lege, prohibita fuisse; carni obsistendum; digamiam ab apostolo episcopis interdictam; pulchrum esse, et ab Ethnicis etiam laudatum, si quis post conjugis discessum se ab alterius amore servet integrum. Vide nunc quid, si Septimio credas, ex singulis sequatur:

1° Delinquit qui divino permisso utitur, et ea non eligit quæ Deus præponit. Etenim « ex indulgentiâ est quodcumque per-« mittitur : quæ etsi sine voluntate non est, quia tamen ali-« quam habet causam in illo cui indulgetur, quasi de invitâ « venit voluntate, passâ causam suî, quæ cogit voluntatem. « Vide qualis sit voluntas, cujus alter est causa... Dubiumne « est nobis ea sectanda esse quæ mavult, cùm quæ minùs « vult quia alia magis vult perindè habenda sint atque si no-« lit? Nam ostendens quid magis velit, minorem voluntatem « majore delevit. Si ideò utramque voluntatem declaravit ut « id secteris quod magis vult, sine dubio, nisi itâ facis, contrà « voluntatem ejus sapis, magisque offendis quàm promereris. « Ex parte delinquis; ex parte, si non delinquis, non tamen « promereris. Porrò, et promereri nolle, delinquere est (1). » Quis non videat his verbis, inter præcepta quæ omnibus imponuntur, et consilia quæ paucis proponuntur, totum tolli discrimen, atque hanc fore, si Septimii sententia obtineat, Christianorum conditionem, ut, ni summum evangelicæ perfectionis culmen attigerint, statim in barathrum peccati decidant. Jam neque primis parcetur nuptiis, quarum eadem fermè conditio est; omnibus in deserta confugiendum erit; optimoque jure omnes civitates id genus hominum, *sylvicolas* et *exules vitæ* (2), odio habebunt.

2° Secundæ nuptiæ, eâdem quâ stupra lege, prohibentur. « Si penitùs Apostoli sensus interpretemur, non aliud dicen-« dum erit secundum matrimonium quàm species stupri. « Quum enim dicat maritos hoc in sollicitudine habere quem-« admodùm uxoribus placeant, utique de cultu, et ornatu, et « omni studio formæ, de formâ autem et cultu placere carna-« lis concupiscentiæ ingenium sit, quæ etiam stupri causa est, « ecquid videtur tibi stupri adfine esse secundum matrimo-« nium, quoniam ea in illo deprehendo quæ stupro compe-

(1) De exhort. Cast., § 3.
(2) Apolog., § 42.

« tunt? Ipse Dominus: *Qui viderit*, inquit, *mulierem ad con-*
« *cupiscendum, jam stupravit eam in corde suo*. Qui autem
« eam ad ducendum viderit, minùs an plus fecit? Quid si
« etiam duxerit; quod non faceret, nisi et ad ducendum con-
« cupisset, et ad concupiscendum vidisset. Nisi si potest duci
« uxor, quam non videris, nec concupieris. Multùm sanè in-
« terest maritus an cœlebs aliam concupiscat? Omnis mulier
« etiam cœlibi alia est, quamdiù aliena; nec per aliud tamen
« fit marita, nisi per quod et adultera. ...Ergò, inquis, jam
« primas, id est, unas nuptias destruis? Nec immeritò, quo-
« niam et ipsæ ex eo constant, quo et stuprum (1). » Ipsum jam, ut patet, matrimonium impiâ argumentatione violatur, quod Deus sub exordio rerum instituit, quod Christus in pristinam revocavit integritatem, quod Ecclesia omnimodis persequitur benedictionibus, quod plerisque *una via salutis* proponitur. « Sementem generis humani compescere in totum,
« nescio an hoc optimo Deo conveniat. Quomodò enim sal-
« vum hominem volet, quem vetat nasci? quomodò habebit
« in quo bonitatem suam signet, quem esse non patitur?
« quomodò diliget, cujus originem non amat? Non erit imma-
« nior duritia Pharaonis, nascentium enecatrix: nam ille
« animas adimit, hic non dat. Nihil apud ambos de homicidio
« differt: sub utroque homo interficitur: sub altero jam
« editus; sub altero, edendus (2). » Quòd si Septimii verba vetas proprio sensu intelligi, monesque Septimianæ nimietatis habendam rationem, alterum afferens iisdem de libris locum in quo nuptiarum carpit destructores, nihil repugno. Sed qui jam poterit Septimius, primas nuptias laudans, secundas tollere, quum utriusque unam eamdemque esse causam ipse fuerit confessus?

3° Non mirabimur à tali exordio profectum, eò deductum fuisse, ut meliorem causam esse Christum in persecutione ne-

(1) De exhort. Cast., § 9.
(2) Adv. Marc., l. I, § 29.

gantium, quàm secundas nuptias ad infirmæ carnis medelam sumentium, profiteretur : « Illa utique infirmitas magis « excusanda quæ in prælio cecidit, quàm quæ in cubiculo,... « quæ crudelitati cessit, quàm quæ libidini... Sed illam qui- « dem à communicatione depellunt, quià non sustinuit in « finem : hanc verò suscipiunt, quasi et hæc sustinuerit in « finem. Propone quid utraque non sustinuerit in finem, et « invenies ejus causam honestiorem, quæ sævitiam, quàm « quæ pudicitiam sustinere non potuit. Et tamen nec cruen- « tam defectionem infirmitas carnis excusat, nedum impudi- « cam (1). » Miram certè ἀντίθεσιν, sed quæ et in primas quoque redundet nuptias, et, rejectâ matrimonii cum stupro similitudine, ruat.

4° Cùm apud Christianos, unius matrimonii esse debeant qui ordini sacerdotali adleguntur, forsan indè sequi putabis minùs arcto laïcos coerceri vinculo. Ut enim major est sacerdotibus dignitas, qui propiùs ad Deum accedunt, ità sanctior in illis morum integritas relucere debet; nec mirum si quod cæteri tantùm suadentur, in sacerdotibus jus formamque præcepti obtineat. Longè aliter Septimius argumentatur : « Vani « erimus, inquit, si putaverimus quod sacerdotibus non liceat « laïcis licere. Nonne et laïci sacerdotes sumus? Si quod « episcopis præscribit, non et omnibus præcipit? Undè enim « episcopi et clerus? Nonne de omnibus? si non omnes « monogamiæ teneutur, undè monogami in clerum?... Age, « qui putas exceptionem monogamiæ de episcopis factam, « recede et à reliquis titulis disciplinæ, qui cum monogamiâ « episcopis adscribuntur. Noli esse irreprehensibilis, sobrius, « bene moratus, hospitalis, docibilis : quin verò, et vino de- « ditus, et manu promptus ad cædendum, et pugnax, et pe- « cuniæ amans. Si enim suam habent episcopi legem circa « monogamiam, etiam cætera quæ monogamiæ accedere opor- « tebit, episcopis erunt scripta. Laïcis verò, queis monogamia

(1) De Monog., § 15.

« non convenit, cætera quoque aliena sunt. Evasisti, Psy« chice, si velis, vincula disciplinæ totius (1). » Imò, tu, Septimi, rectè argumentandi leges, quæ *à fortiori* concludi sinunt, *ad fortius* omninò vetant. Nisi fortè prima ibi funesti erroris semina sparguntur, qui totam Ecclesiæ hierarchiam, humanæ superbiæ indulgens, subvertit, sacerdotium, omnibus communicando, destruit, evangelicamque vocem, Septimianum ad exemplum, interpretando corrumpit : *ubi tres, ibi Ecclesia, licet laïci* (2).

II. Iterum, pœnitentiam fornicatoribus negandam adversùs Psychicos defendens, ecce totus (quasi lasciviam Catholici propugnarent), in pudicitiæ laudes abit, quam « ut morum flo« rem, honorem corporum, decorem sexuum, integritatem « sanguinis, fidem generis, fundamentum sanctitatis, præju« dicium omnis bonæ mentis (3), » meritis extollit laudibus. Dein impudicitiam ut gravissimum vitium exsecratur, quasi nos illam pro levi aliquâ noxâ haberemus. Libet integrum referre locum, Septimio, ut ego opinor, dignissimum : cernes quanta verborum copia, quanta vis eloquentiæ in vacuum spargatur, ubi orantis ea conditio est ut nihil ipsa causa præbeat, omniaque extrà illam conquirenda sint : « Mœchia quanti æsti« manda sit sceleris, prima lex Dei præstò est : siquidem, « post interdictam alienorum deorum superstitionem, post « imperatam in parentes secundam à Deo religionem, nullum « aliud in talibus titulis firmandis muniendisque substruxit « præceptum quàm : *Non mœchaberis*. Quale delictum jam « intellige, cujus cohibitionem post idololatriæ ordinavit. Nihil « secundum longinquat à primo. Quod fit ex primo, aliud « quodammodò primum est. Itaque mœchia adfinis idolola« triæ. Nam et idololatria mœchiæ nomine et fornicationis

(1) De Monogam., § 12.
(2) De exhort. Castit., § 7.
(3) De Pudic., § 1.

« sæpè populo exprobrata, etiam sorte conjungetur illi sicut
« et serie. Eò ampliùs, præmittens : *Non mœchaberis*, adjun-
« git : *Non occides*. Oneravit itaque mœchiam, quam homicidio
« anteponit. In primâ itaque fronte sanctissimæ legis, in
« primis titulis cœlestis edicti, principalium utique delicto-
« rum proscriptione signatâ, de loco modum, de ordine sta-
« tum, de confinio meritum cujusque dignoscas. Est et mali
« dignitas, quod in summo aut in medio pessimorum colloca-
« tur. Pompam quamdam atque suggestum agnosco mœchiæ,
« hinc ducatum idololatriæ antecedentis, hinc comitatum ho-
« micidii insequentis. Inter duos apices facinorum eminentis-
« simos, sine dubio digna consedit, et per medium eorum
« quasi vacantem locum pari criminis auctoritate complevit.
« Quis eam talibus lateribus inclusam, talibus costis circum-
« fultam, à cohærentium corpore divellet, de vicinorum cri-
« minum nexu, de propinquorum scelerum complexu, ut
« solam eam secernat ad pœnitentiæ fructum? Nonne hinc ido-
« lolatria, indè homicidium, detinebunt? et si qua vox fuerit,
« reclamabunt : Noster hìc cuneus est, nostra compago. Ab
« idololatriâ metamur, illâ distinguente conjungimur, illi de
« medio emicanti adunamur ; concorporavit nos Scriptura di-
« vina ; litteræ ipsæ glutina nostra sunt ; jam nec ipsa sine
« nobis potest. Ego quidem Idololatria sæpissimè mœchiæ
« occasionem subministro. Sciunt luci mei, et mei montes,
« et vivæ aquæ, ipsaque in urbibus templa, quantùm ever-
« tendæ pudicitiæ procuremus. Ego quoque homicidium non-
« numquam mœchiæ elaboro. Ut tragœdias omittam, sciunt
« hodiè venenarii, sciunt magi, quot pellicatus ulciscar, quot
« rivalitates defendam, quot custodes, quot delatores, quot
« conscios auferam. Sciunt etiam obstetrices quot adulteri
« conceptus trucidentur. Etiam apud Christianos, non est
« mœchia sine nobis. Ibidem sunt idololatriæ, ubi immundi
« spiritûs res est : ibidem est homicidium, ubi homo, quum
« inquinatur, occiditur. Igitur, aut nec illis, aut etiam nobis

« pœnitentiæ subsidia convenient: aut detinemus eam, aut « sequimur (1). »

Cernis ut, dùm ex ore loquentis pendes, et magna veraque loquentem avidus excipis, sub fine se in incauta pectora insinuet venenum, eòque quasi inscius adducaris, ut mœchiam idololatriâ vix meliorem, homicidio certè pejorem, à pœnitentiâ cum utroque arcendam censeas. Quid, si utrumque veniam pœnitendo consequatur? Quid, si, dùm lex vetus obtineret (quam Deus, nondum humano generi reconciliatus, acerbam sanè condiderat, et ab evangelicæ legis misericordiâ adeò remotam, ut hæc ab amore, à timore illa nomen mutuata sit), nunc singulorum, nunc totius gentis fornicationibus, propter pœnitentiam Deus ignoverit? Quid, si *illud ad mortem delictum,* pro quo, utpote irremissibili, B. Joannes negat orandum esse, nil aliud est quàm pervicax pœnitendi recusatio, quæ peccatorem divinæ ultioni tradit à se ipso damnatum, per impiam desperationem quam omnibus peccatoribus Septimiana immittat doctrina? Quid, si totam hanc disciplinam præcludendi quibusdam delictis aditûs ad pœnitentiam Septimius commentus est, ipseque, de pœnitentiâ Catholicus tractans, arctum illud ostium omnibus tamen patere numquam negavit, imò apertissimè professus est (2)?

Reclamabit Septimius, non frustrà agi pœnitentiam, siquidem ignoscendi facultas, major quàm ut hominibus tradatur, integra in Deo manet. « Pœnitentiâ enim ad Dominum re« missâ, et illi exindè prostratâ, hoc ipso magis sperabitur « venia, quòd eam à solo Deo exorat, quòd delicto suo hu« manam pacem non sufficere credit, quòd Ecclesiæ mavult « erubescere, quàm communicare. Et si pacem hìc non me« tit, apud Dominum seminat (3). » Igitur aliud ejus vitium notabimus, quod, humanam tantùm pacem ab Ecclesiâ pœni-

(1) De Pudic., § 3.
(2) De Pœnit., § 4.
(3) De Pudic., § 3.

tendo impetrari asserens, legitimamque peccatorum remissionem non ad Ecclesiam et quidem psychicam pertinere, sed ad spiritales (lege Montanistas) aut ad apostolum, aut ad prophetam, totum christianæ civitatis ordinem perturbat, sacerdotiumque omni in animas jurisdictione orbatum ad nihilum ferè redigit.

III. Novam exindè jejunandi formam vindicaturus, quam ipse, nondum Paracleti illuminatione cæcatus, nesciverat, nil aliud quàm jejunii laudes celebrat : dicas illi cum iis hæreticis negotium esse qui, sublatis omninò jejuniis, totâque corporis ἀσκήσει, christianæ disciplinæ dimidiam partem tollunt, obliti sanè carnis adversùs spiritum concupiscentiam quoquo modo compescendam esse, ut mens sibi vacare libera valeat. Deus, inquit, post longa jejunia se Mosi in monte Sina, Heliæ in Horeb ostendit, significans per piam inediam aditum ad divina patere. Quoties jejunando indignationem Domini certaque pericula à se avertit Israël! Quamquam quid de Israële loquimur, cùm deterrimo Achab, infidelibus Ninivæ incolis, propter obita jejunia ignoscatur. Jejunando Daniel somniorum interpretationem consequitur. Ut monogamia, ità jejunia Annam in singularem designant honorem, ut infantem Dominum in templo agnoscat; per jejunia nos docet Christus adversùs diriora dæmonia depugnandum (2). Denique jejunia proponuntur « non solùm ad impetrandam tutelam ejus aut gra« tiam, sed ad præmuniendam per nosmetipsos novissi« morum temporum conditionem, cùm carcer ediscendus, « ac fames et sitis exercendæ, et tam inediæ quàm anxii victûs « tolerantia usurpanda sit, ut in carcerem talis introeat Chris« tianus, qualis indè prodisset; non pœnam illic passurus, « sed disciplinam; nec sæculi tormenta, sed sua officia; eòque « fidentior processurus ad certamen è custodiâ;... nihil ha« bens carnis, sic ut nec habeant tormenta materiam;... præ« misso jam sanguinis succo, tanquàm animæ impedimentis,

(2) De Jejun., § 7.

« properante jam et ipsâ, quæ jam sæpè jejunans, mortem « de proximo nôrit (1). »

Sed nil jejunium laudando profecerat, ni Catholicos, ut libidinosos propter concessam secundis nuptiis indulgentiam, ità gulosos diceret propter apostolicam veteremque jejunandi formam novis Montani disciplinis prælatam. Deficientibus itaque argumentis, convicia ingerit; quorum pleraque referre pudet: « Mirarer Psychicos, si solâ luxuriâ tenderentur, quâ « sæpiùs nubunt; et non etiam ingluvie lacerarentur, quâ « jejunia oderunt. Monstrum scilicet haberetur libido sine « gulâ, cùm hæc duo tam unita atque concreta sint (2). » .....« Planè vestrum est, in carceribus popinas exhibere mar- « tyribus incertis, ne consuetudinem quærant, ne tædeat « vitæ, ne novâ abstinentiæ disciplinâ scandalizentur... Ideò « sobrietatis disciplinam qui prædicant pseudo-prophetæ, « ideò hæretici qui observant. Quid ergò cessatis Paracletum « quem in Montano negatis in Apicio credere (3)?... Deus enim « tibi venter est, et pulmo templum, et aqualiculus altare, et « sacerdos coquus, et Sanctus Spiritus nidor... Quis sanctior « inter vos, nisi convivandi frequentior, nisi obsonandi pollu- « cibilior, nisi calicibus instructior? Meritò homines solius « animæ et carnis spiritalia recusatis... Cur ergò non cons- « tanter prædicatis: Manducemus et bibamus, cràs enim mo- « riemur (4)? »

Hæc Septimius quasi furens, nec jam suî compos. At ille idem quantò veriùs Christianorum anteà descripserat epulas: « Cœna nostra de nomine rationem suî ostendit; id vocatur « quod dilectio penes Græcos. Quantiscumque sumptibus « constet, lucrum ést pietatis nomine facere sumptum. Siqui- « dem inopes quosque refrigerio isto juvamus, non quà penes « vos, parasiti adfectant ad gloriam famulandæ libertatis, sub

(1) De Jejun., § 12.
(2) *Ib.*, § 1.
(3) *Ib.*, § 12.
(4) *Ib.*, § 16–17.

« auctoramento ventris inter contumelias saginandi, sed quà, « penes Deum, major est contemplatio mediocrium. Si ho-« nesta causa est convivii, reliquum ordinem disciplinæ æsti-« mate qui sit, de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil « immodestiæ admittit : non priùs discumbitur quàm oratio « ad Deum prægustetur : editur quantùm esurientes cupiunt, « bibitur quantùm pudicis est utile : ità saturantur, ut qui « meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse : « ità fabulantur, ut qui sciant Deum audire (1). » Nonne ipsi Decius aut Diocletianus in testimonium vocati Christianos hoc in loco agnoscant, illa autem superiora de otiosâ Romanorum juventute *fruges consumere natâ*, narrari arbitrentur? Nonne, omissis testibus, res ipsa numquam fieri potuisse demonstrat, ut voratores et potatores adversùs supplicia tàm constantes, tàmque alacres invenirentur; undè sequitur Septimium, infamare quos deseruerat aventem, nil aliud profecisse quàm ut calumnià in calumniatorem redundaret.

IV. Denique Paracletus, de *fugâ in persecutione* consentanea suæ de secundis nuptiis, deque fornicatorum pœnitentiâ sententiæ docuerat. Quâ in quæstione non unam et simplicem disciplinam, sed variam pro locis, pro temporibus, pro cujusque conditione et officio, Ecclesia secuta est. Illud tamen semper obtinuit, et apostasiam summum Christiano scelus habendam, nec tamen temerariam probari fidei declarationem, cùm ignes persecutionis non in se tantùm, sed in totam Christianorum gentem sine causâ concitare, imprudentis sit, et suis viribus potiùs quàm divino auxilio fidentis. Verùm, si nova indè quæstio exoriatur, liceatne, relictis in quibus sævit persecutio locis, in alia magis placida quasi in quemdam se recipere portum, facilè cernetur non eadem omnibus convenire. Laïcis, quibus sui, vel sola, vel præcipua cura committitur, quibus profectis, nullo remanentes orbantur auxilio,

(1) Apolog., § 39.

permittenda certè videtur fugiendi facultas : hoc enim neque ignaviam aut apostasiam sapit, neque communis prudentiæ fines excedit, quâ pericula, quantùm id sine ullius officii detrimento fieri potest, vitare jubemur. Longè autem alia sacerdotis conditio est, eâ lege in tantam dignitatem provecti, ut saluti animarum sibi commissarum invigilet. Si enim pastor aufugerit, quis oves tutabitur? Si, ingruente persecutione, sacerdos sibi tantùm prospexerit, quis jam fideles solari valebit, hortari, doctrinâ et sacramentis adversùs tormenta munire? Quòd si non tàm christianæ plebis pernicies quæratur quàm unius, cujus salute salutem omnium contineri manifestum sit, ille, se ad tempus procellæ subtrahens, si modò id sine ullâ sacrorum, tùm vel maximè necessariorum, intermissione fieri possit, non modò omnem vitaverit culpam, verùm optimè de suis meritus fuerit. Hæc Cyprianum moverunt, ut, precibus lacrymisque fidelium victus, primum Decianæ persecutionis impetum vitaret, qui tamen absens, quosdam cleri sui sacerdotes, in præsidium Ecclesiæ relictos, graviter increpat, quòd stationem suam deseruerint. Neque veritus est ille boni pastoris nomine dignissimus ne quis hanc in se reprehensionem retorqueret; quippè cui decretum esset, ubi tempus posceret, in aciem à quâ invitus abstinuerat reverti, et suis, quibus per secessionem profuerat, per sanguinem prodesse.

Nullâ horum ratione habitâ, Septimius contrà Ecclesiæ traditionem, contrà Evangelii præceptum, contrà apostolorum ipsiusque Christi exemplum, omnes, semper, ubique, fugere in persecutione vetat, hoc sibi sumens principium ; illam à Deo esse ad examinandam Christianorum fidem, totumque hoc certamen ad gloriam Dei spectare. « Quandò enim Deus magis « creditur, nisi cum magis timetur? nisi in tempore persecu« tionis? Tunc Ecclesia in attonito est. Tunc et fides in ex« peditione sollicitior, et disciplinatior in jejuniis, et stationi« bus, et orationibus, et humilitate, in alterutrâ diligentiâ et « dilectione, in sanctitate et sobrietate. Non enim vacatur nisi

« timori et spei (1). » Igitur persecutio vitari non debet, quia bonum (omne enim quod Deo visum est ipso statu bonum dicimus, etsi sensui malum videatur); nec vitari potest; quippè voluntatem Dei nullus evadit. « Qui putant fugiendum, « aut malum exprobrant Deo, si persecutionem uti malum « fugiant; bonum enim nemo devitat; aut fortiores se Deo « existimant, qui putant se evadere posse, si Deus tale aliquid « voluerit evenire (2). » Desidia his verbis et, quod Leibnitius *fatum mahometanum* nuncupat, apertissimè prædicantur. Si tecti ruina impendeat, si contagium irrepat, si hostis adventet, noli gressum movere, noli architecti, medici, militis auxilium invocare : bona enim sunt quæ vitare studes, utpote à Deo immissa : quæ si à te depellere tentaveris, rebellionis reus habebere. Finge verò Septimianum illud *paradoxon* in Ecclesiâ, persecutionum tempore, obtineat, omnes in civitate permanebunt, nullas jam ad orandum quærentes latebras ; sed meridiè prodeuntes sacra in foro celebrabunt. Quid enim latitare à fugiendo differt, cùm nullus nisi latendi causâ fugiat? Aut quî melior est eorum causa quos latebræ, non extrà, sed intrà civitatem fugientes protegunt? — Dein, quænam putas sors erit nascentis Ecclesiæ, si novos alumnos non tegere, sed potiùs persequentibus objicere properet, atque totam se *massaliter* (3) uno eodemque ferro trucidandam offerat? Deus, inquis, sibi ipse consulet : ad quod respondeo me non fidei timere, quam immortalem novi, sed singulis urbibus gentibusque, evangelicâ veritate forsan orbandis, si cæco tyrannorum furori immodicus Christianorum ardor subserviat. Taceo quòd sæpè carnis infirmitas nimiam spiritûs fiduciam apud multos in magnum vocabit discrimen, quibus Deus itâ se auxiliaturum pollicitus est, si de se ipsi non præsumpserint : id enim Septimio leve videatur, qui levius apostasiæ quàm

(1) De Fug. in persec., § 1.
(2) *Ib.*, § 4.
(3) *Ib.*, § 13.

fugæ peccatum existimat. « Nam etsi negando ceciderit, cum « tormentis tamen præliatus; pulchriorque miles prælio amis- « sus, quàm in fugâ salvus (1). »

Liceat nunc vos appellare, cryptæ, quas religiosissimè servatas, non sine lacrymis hodiè invisimus, atque ut Ecclesiæ incunabula veneramur; quas tamen, si illa se deferendi libido in officii parte poneretur, necesse erat ut scelestas exsecrari latebras; — vosque sanctissimi heroes, quos et majores, et exemplaria habere gloriamur, quosque constat his in sedibus sacra exercuisse, et indè, omni *spiritali armaturâ* instructos, pulcherrimum pro Deo et veritate obiisse certamen : Vosne dicemus, cùm procul à tyrannis, semotâ proditoris cujusque conscientiâ, vacaretis orationi, antraque laudes Dei resonare doceretis, vobis alicujus violatæ religionis fuisse conscios? aut, tàm immotos adversùs proconsulum minas plebisve clamores, tàm alacres ad supplicia, imbelli quodam terrore inductos esse ut noctem et ignotos recessus quæreretis? Nonne Christum præ vobis ferre ardentibus, et per tormenta *immarcescibilem* percipere *gloriæ coronam*, frena addenda fuerunt, quò et Evangelii lux se tutiùs latiùsque diffunderet, et ipsi ad certamen firmiores prodiretis? Quid ergo indignius quàm aliquem de vestro quondam numero fuisse repertum, qui virtuti sibi exploratæ notam aspergere, prudentiamque cujus non nesciebat causas inhonesto nomine infamare auderet?

Si quis fortè Septimium propter levia, ut videntur, dissidia, vehementiùs æquo reprehendi à nobis queratur, totam nos Ecclesiæ disciplinam, totamque Christianismi quasi indolem hisce quæstiunculis contineri respondebimus. Finge enim (quod nullo modo fieri potest) eam quam Septimius laudabat, agendi rationem Ecclesia sequeretur : pro divinâ illâ misericordiâ quam totum spirat Evangelium, cui cœli tot sanctos debent, immitem quamdam peccatores severitatem experirentur, et sublatâ spe pœnitendi, ad omnia mox audenda compellerentur,

(1) De Fug. in persec., § 10.

ut saltem inevitabilis judicii recordationem inebriati amitterent. Pro maternâ illâ Ecclesiæ sollicitudine, onera cujusque secundùm humerorum infirmitatem moderantis, intolerabile jugum his quæ Deus edomandæ carni præcepit adderetur. Pro illâ fortissimâ prudentiâ quâ semper episcopi suos hortati sunt ut, persecutionis impetum constanter excipientes, inutilia tamen pericula vitarent, omnes jugulum mucroni offerre et temerè in supplicia ruere juberentur.

Indè Christianorum exercitus in duo quasi castra scinderetur. Alii, quæ pars longè major, postquam sibi, ut solet, nimiùm fidentes, et splendore doctrinæ allecti, vestigia Christi aliquandiù secuti forent, mox defervescerent et quasi *deficerent in viâ ;* nec tantùm inutile illud onus deponerent, à novæ legis Pharisæis excogitatum, sed totam excuterent Evangelii legem, ad quam illa quoque pertinere arbitrarentur. Pauci verò, ferreâ quâdam naturâ præditi, et eò rectorum, etiam nimiorum, pervicaciores, quò se ignaviùs plebs circumfusa in mala trahi pateretur, quas amplexi forent partes defendere perseverarent : cùmque, ingruente contagio, nulla alia salutis via pateat, quàm si à corporibus tabe infectis secedatur, sapientes illi se à vulgo prorsùs extraherent, habitarentque

Edita doctrinâ sapientûm templa serena,

sibi fortè utiles, sed *humanis rebus* omninò *infructuosi.* Ità inter Epicureum gregem, Stoïcorum appareret paucitas, Christiani verò nusquàm invenirentur. Stoïcos enim non Christianos dico quos fera quædam superbaque virtus eò adducit ut fratres suos, humiliore quidem, sed evangelicæ tamen legi consentaneâ honestate contentos, contemnant et conviciis onerent, eorumque contactum, tanquam gulæ, impudicitiæ, ignaviæ notandorum, refugiant. Ergo, cùm ex illâ Septimii severitate eventurum esset ut omnibus destinata religio in paucorum sectulam coarctaretur, nec quidquam ad publicorum morum valeret informationem, quis miretur unius auc-

toritatem apud Ecclesiam non plus quàm generis humani salutem valuisse, et circà unum illum, ubi hanc viam ingressus est, ingentem factam esse solitudinem?

CAPUT VII.

FERTUR DE SEPTIMIO JUDICIUM.

Jam quæ sint Septimii in veritatem et Ecclesiam merita, quidve in ejus doctrinâ reprehendendum inveniatur, manifestum est; tamen paucis, sub opusculi nostri fine, includendum videtur.

In causâ Christianorum orandâ, Septimius ipsa vox est Ecclesiæ se omnium scelerum labe puram testantis, objectumque factionis crimen, per enumerata præceptorum suorum in rempublicam merita plenissimè diluentis.

Philosophiam, duriùs quidem, propter longos errores philosophantiumque delicta, tractatam, fidei, hoc est Deo, ut par est, subjicit, et, à primo gradu depulsam, secundo loco ità collocat, ut de perpetuis verisque humanæ rationis juribus nil illi pereat: non enim is est qui, tantum divinæ bonitatis munus hominum vitio cernens in prava detorqueri, in ipsius doni odium adducatur.

Ergo, philosophorum debellans errores, ipse philosophatur, Deumque unicum, materiæ creatorem, extrà tempus positum, humana curantem, atque ut bonis præmia, ità pravis æterna supplicia parantem, optimis confirmat argumentis. Quæ causa condendi orbis extiterit, quis homini in rerum naturâ locus assignetur, verbis edocet quibus nihil etiam nunc verius pleniusve habemus.

Humanam animam, adversùs Platonem creatam, adversùs Stoïcos liberam, adversùs Epicurum simplicem uniusque substantiæ, adversùs omnes corpori semper adhæsuram defendit: quæ omnia plerique apud veteres philosophi partim nesciverant, partim aut abnuerant, aut dissimulaverant. Ergò Noster his fidei doctrinis faces rationis admovens, ut ethnicæ philosophiæ inimicis, ità christianæ defensoribus annumerandus est.

Adjunxit tamen errores, alios in verbis tantùm, alios ipsis in rebus sitos. Siquidem quæ de divino *corpore*, divinâque *bile* loquitur, si benignè interpreteris, omni impietate carent; quæ verò de humanæ animæ *colore, magnitudine, trifariàmque distantivo* finxit, nullo modo turpi superstitionis crimine absolvi possunt.

Quod ad bella cum hæreticis gesta attinet, taceo singulos singulis fusos præliis: cùm verò hæ pestes, mutatis pro locorum temporumque varietate formis atque coloribus, eædem semper tamen renascantur, Septimius,

Quo teneas formam mutantem Protea nodum

providâ mente fabricavit, præscriptiones scilicet exceptionesque quasdam, universis hæreticis, ante initum cum singulis certamen, profligandis aptissimas, ut Septimiana præcepta, si, nihil detrahens, pauca addideris, optimam adversùs hæreses disputandi normam nostris etiam temporibus præbeant.

In moribus informandis, unum ante omnia studuit, nempe ut inter Christianorum Ethnicorumque vitam, inter evangelicas philosophicasque virtutes, quàm latissimum hiaret intervallum. Indè est, quòd patientiæ, nominis apud Stoïcos jactatissimi, speciem tantùm in sæculo, veritatem in Ecclesiâ reperiri tantâ curâ ostendit: indè quòd operariis omnes artes vel minimæ cum idololatriâ affinitatis suspectas, viduis nuptias infideles, feminis luxum, omnibus spectacula interdicit. Quod studium, etsi per se laudandum est, tamen hominem satis per se ad

nimia pronum, insuper sub vitæ fine Montani severitate captum, in sententias adeò duras adduxit, ut Christianis in civitatibus degendi omnem auferat facultatem.

Ex Septimio jàm hæretico, et inexpiabilibus odiis Ecclesiam quondam suam prosequente, nil nobis hauriendum visum est, præter miserrima humanæ levitatis documenta, quam de portu in altum vel minima aurula immittat: undè spectatissimo cuique diligentissimè cavendum ne ullius pravæ cupiditatis halitu speculum illud veritatis obscurari patiatur, quo Deus humanam animam donare dignatus est, neve vigilias humilitatis, scientiæ divinarum rerum tuendæ aptissimas, remittat.

Hæc paucis comprehendisse satis esset, si nihil aliud spectaremus quàm de Septimii controversiis, in certum doctrinæ corpus coactis, liberum ferre judicium, et hujus opusculi (si qui fuerint) lectoribus auctores esse ut Septimium pleniùs cognoscere velint. Verùm cùm nobis, ut exordientes professi sumus, propositum fuerit, in Septimio, non ipsum magis intueri Septimium, quàm illam, cui tot scriptis inserviit, Ecclesiam, illùc undè sumus profecti jam censemus revertendum, ut per tàm clarum pateat exemplum, quot quantasque utilitates humanis non moribus tantùm, sed etiam ingeniis christiana disciplina conferat.

Si enim infelicem hominis exitum respicientes, quæ fuerit ejus indoles recogitemus, satis probabiliter conjicere licebit qualem habituri fuissemus Septimium, si, inter ethnicas artes educatus, Evangelii lumine per totam ætatem caruisset. Durus, et acerbus, et imbecillitati humanæ, cùm de moribus agitur, nihil concedens, in disputando subtilis et vehemens, ità tamen ut mentis aciem terreni quasi sensus hebetarent, liberumque tardarent ad divina et incorporea volatum, ipsâ naturâ ad amplexandam Stoïcorum disciplinam, ingenio suo simillimam, videtur fuisse formatus. Habuissemus igitur Africum quemdam Epictetum aut Senecam, qui, splendidis stoïcæ disciplinæ mendaciis vitam viresque impendens, multis libris, *virtutem ad beatè vivendum se ipsâ esse contentam, dolorem malis non*

annumerandum, sapientem omnia sua in se habere, omnes præter unum sapientem æquè insanire, mundum perfectissimum esse divinumque animal, docuisset : quæ et complures alii docuerant, et curandis generis humani morbis, aut nihil, aut certè non multùm, profuerant. Atque, ne fortè hæc ad arbitrium fingi videantur, tanta fuit Septimiani ingenii cum Stoïcorum paradoxis, totâque sectæ doctrinâ affinitas, ut, simul atque stoïca quædam illum contumacia ab Ecclesiæ unitate sejunxit, ei potissimùm sectæ sese addixerit, quæ Evangelium, non christianâ, sed stoïcâ verè severitate corruperat.

Talia Septimii ingenium pollicebatur; imò talia exhibuit, ubi naturalem cursum, ruptis objicibus, sequi incepit. Nunc si respicias qualem formam materiæ, ut fecundæ, ità rebelli, christiana disciplina induerit, miraberis nil Nostro boni aut mali fuisse ingenitum quod non aut melius effecerit, aut correxerit, nihil defuisse quod non suppleverit. Illa stylum ferreum ità emolliit, ut exprimendis suavissimis humani pectoris affectibus aptus efficeretur : illa immites ità flexit animos, ut, de bonitate divinâ, de dilectionis officio etiam erga inimicos adimplendo, de misericordiâ erga peccatores exercendâ, de obsequio principibus, etiam crudelissimis, debito, de illâ morum suavitate per quam, quantùm divina præcepta patiuntur, *ut ridentibus adrident, ità flentibus adflent* Christiani, tamdiù optimè sentiret et loqueretur, quamdiù Ecclesiam audivit, optimam medietatis inter extrema servandæ magistram : illa ferox ingenium, et barbaricæ quasi libertatis avidum, divinæ auctoritati in Ecclesiâ vigenti adeò fecit obsequentem, ut obsequendi necessitatem et causas etiam alios doceret. — Denique, si ad ea spectes quibus diutissimè et libentissimè immorati sumus, quidquid errorum in Septimii philosophiâ notavimus, ipsum auctoris peccavit ingenium, robore quidem et acumine conspicuum, sed non satis suî compos, et sæpiùs, insequendi erroris (quæ Nostro una fuit causa philosophandi) ardore, ultrà prudentiæ veritatisque metas abreptum, prætereà, propter quamdam rusticitatem, aut (si malis) africam barbariem,

eorum amantius quæ tanguntur et cernuntur quàm quæ solo adiri possunt intellectu. — Vera autem, et pulchra, et bona, quæ pars longè major est, à christiano fonte manifestissimè oriuntur; quumque magnæ laudi sit Septimio, eorum quæ fide tenebat, intellectum quæsivisse, quæsitum invenisse, inventum omnibus eloquentiæ gemmis decorasse, multò majus ipsius doctrinæ decus est, quæ se illi præbuit elucidandam. Sola enim quid Deus et mundus inter se differant edocuit, undè rerum natura oriatur, quem ad finem condita et exornata fuerit, quæ sit humanæ animæ, semper anteà aut ultrà modum magnificatæ, aut in immeritam depressæ humilitatem, vera natura, veraque dignitas. Undè judicari potest utri de veritate, et philosophiâ meliùs mereantur, qui christianam fidem acerbissimis odiis persequentes, tantum lumen tot jam sæculis accensum, toties de humanâ ratione optimè meritum extinguere nituntur, ut philosophia, cæcam per noctem gubernatore destituta, in mare referatur tot naufragiis inclytum; an qui illam fidei cum philosophiâ, Dei cum hominibus societatem, æquissimis legibus à Christo constitutam, à sanctis Ecclesiæ Patribus inter supplicia consecratam, à summis quibus Scholastica floruit doctoribus coarctatam, à splendidissimis recentiorum ætatum ingeniis religiosè observatam, nostro tempori, per tot ruinas de rationis infirmitate admonito, apprimè necessariam, totis fovent viribus, totoque pectore amplectuntur.

INDEX CAPITUM.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbonâ, pr. id. decembr. ann. M DCCC LIV.
Facultatis Litterarum in academiâ Parisiensi decanus,

J. VICT. LECLERC.

Typis mandetur :

Parisiensis Rector,

CAYX.

1777

ERRATA.

P. 11, l.	9, rethorum;	*lege,*	rhetorum.
45,	28, inmpatientiam;	—	impatientiam.
72,	10, δημιοουργός,	—	δημιουργός.